

Fh. 12.



7

GOTTINGENSIVM

AD LAINVM PÆDAGOGII

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ:

Item

STATVTA ET LEGES.

*Quibus adiuncte sunt Orationes duæ, solenni
in conuentu habite, cum in possessionem Re-
ctoratus immitteretur D. HENRICVS PE-
TREVVS, die D. Vitalisacro, 4 Calend. Maij,
Anni a Christo nato MDLXXXVI.*



Francofurdi apud Ioannem Wechelum,

MDLXXXVI.

COTTINGENSIVM
AD LAINVM PBDACOGII
EKIAPALIA

STATVTA ET LEGES

Quibus aduntes sunt Oratores duo, solenni
in conventu habitis, cum in possessionem Re-
gotatis ministeris D. Henricus P. r-
trax, die D. V. iustitiae Calend. Mar-
chialis Christi nato MDLXXXVI.

Landesherrn Johann Wilhelm
MDLXXXVI



ARTIVM OPT. ET
LINGVARVM CVPIDÆ IV-
VENTVTI S.

HENRICVS PETREVS.



*V*M ad artes iam quæstuosas applica-
tis vulgi animis, tantumq; ad opes ocu-
lis hominum & splendorem conuersis,
disciplinæ liberales magis & magis in-
dies sordescant, eaq; passim ostendat se
vitæ ac morum dissolutio, ut nisi tēpori
inueniatur remedia, parum bona spei vel in præsentia vel
in posterū affulgeat, SENATVS POPVLVSQVE GOT-
TINGENSIS memor præcepti Paulini Ephes. 6, nul-
lum se Reipubl. munus afferre maius meliusue posse exi-
stimauit, quam si operam daret, ut artium opt. lingua-
rumq; studiis ad humanitatem accuratius informaretur
ætas puerilis, atq; ad pietatem vitæq; honestatem volun-
tates dirigerentur. Nihil enim est quod ita mores eru-
diat ut litteræ, nihil quod in omnes vitæ partes ita fusas
habeat utilitates, ut humanitatis studia & doctrina.
Nimirum in liberali iuuentutis educatione omnia ciuita-
tum commoda & ornamenta posita sunt; in neglectione,
miseria omnis & deformitas. Seges illa est Reipublicæ:
qua neglecta quam metes tandem messent? quos præficies
tandem ministros Ecclesiis? Regnis gubernatores? Consi-
liarios Aulis & Oratores? Tribunalibus Iudices? Cui-

tatibus Senatores & Consules? Urbibus ciues? Etenim
 ut membra corporis subtracta ciborum alimonia conta-
 bescunt, ita litterarum studijs, ceu animorum pabulo, ex
 vita communi exterminatis, ab humanitate degenerant
 homines, & quasi in bestias transformati obbrutescunt.
 Vnde, si antiquitatis monumenta intuemur, nullam prope
 gentem reperimus, quæ erudiendæ iuuentutis curam nul-
 lam habuerit. Euentus scilicet, stultorum magister, bar-
 baros etiam docuit, quibus in pueritia hominibus nulla
 disciplina liberali informatis cupiditatum frena laxata
 essent, eosdem etate prouectiori ad res capeffendas ine-
 ptos, neq; priuatim neq; publice vitam ordine & recte de-
 gere, audacter magis & temere quam utiliter & pru-
 denter administrantes omnia, plerumq; exitia rerum hu-
 manarum & pestes. Qualis enim institutio est etatis te-
 nerioris ac educatio, talia & studia deinceps moresq; exi-
 stere solent & vigere; ut vel Lycurgi Lacedæmoniorum
 legislatoris illi, parentibus quidem iisdem nati, sed discipli-
 na diuersa educati, catuli Spartanis olim demonstrarunt.
 Istam igitur ex artium liberalium contemtionem scaturi-
 entem vitæ barbariem ac deformitatem pro virili sua
 parte Gottingenses reprimere, communemq; patriam bo-
 nis ciuibus locupletare cupientes, de noua Schola siue
 Pædagogio instituendo deliberarunt. Eam vero cum rem
 ad illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum
 ERICVM Ducem Brunsvigensem & Lunæburgensem
 inclytæ memoriæ retulissent, singularem grataq; comme-
 mora-

moratione dignam eiusdem sunt benignitatem experti. Quamuis enim eam Christianæ Fidei cōfessionē, quā ex fontib. Israel siue sacris scripturis petitā, & in capita articulate distributam, Augusta Vindelicorum anno Christi 1530 solenni in conuentu præsentē CAROLO V Rom. Imp. quidam Imperij tum Principes tum ciuitates ediderunt, sequendam ille sibi esse non putaret; tamen communi ordinum consensu eadem in vrbe ad Licum promulgata deinceps anno 1555 Religionis cōstitutione cum cæteris Imperij Principibus approbata, vniuersis ditioni suæ subiectis Ecclesiarum Scholarumq; emendationem secundum Augustanæ, quam dixi, Confessionis præscriptum, liberam concessit. Huic certe ad Lainum Pædagogio instituendo adeo nihil est aduersatus, ut urgenti negotium hoc Senatui subueniret etiā, inchoata, si vixisset, omnino perficienda curaturus, & maioribus hanc litterarum & humanitatis culturam opibus fundaturus. Etsi autem, dum multiplici clementiæ illius & benignissimæ affectionis declaratione Senatus ad maiorem indies noui ludi aperiendi curam excitatus, deliberationum illarum in itijs neutiquam insisteret, sed progrediendo ad finem perfectionis contenderet, Deo optimo ter maximo visum non fuit, illustrissimam illius Excelsitatem hisce ad Lainum & Visurgim terris diutius præesse; eamq; ob rem tanto Macenate Gottingenses amisso, & non nullorum opinione, omni in posterum commoditatum subsidiorumq; spe destituti, Gymnasium hoc inchoatum relicturi, neque in-



* GOTTING. SCHOLÆ

cepto operi manum extremam imposituri existimarētur:
 tamen, ut sane inexpectato isto ex Italia obitu nuntiato,
 insigni dolore perculsi immaturā carissimi Principis mor-
 tē (id quod pietatis & humanitatis erat) deplorarunt, ita
 in luctu animos tamen non demiserunt. Dei enim aeterni,
 regna iam huc iam illuc transferentis, iudicia ut occulta
 ipsi, ita iusta agnoscentes, diuina decreta meliorem in par-
 tem, ut decet, interpretati sunt. Neque vero ERICVM
 Principem, ut Dei consilio sine liberis hæredibus decede-
 ret, regiones hasce orbas relicturum putarant, quibus con-
 staret, ad quem in istum euentum totius gubernationis
 terrarum Brunsvigensium integrum ius recideret. Ete-
 nim ad illustriss. & non modo fortunis opibusque, sed ge-
 nerosissima latissimaq; sobole, ac felicissima inclytæ fami-
 liæ propagatione florentem Principem & Dominum,
 Dominum FVLIVM, Ducem Brunsvigensem & Lu-
 naburgensem, Dominum meum clementissimum, uni-
 uersa harum terrarum possessione deuoluta, detrimentum
 in obitu illius acceptum, in hoc agnatæ seu potius fraternæ
 successionis emolumento ita compensatur, ut merito hac,
 non expectata quidem, sed præclara commutatæ guber-
 nationis fortuna, non modo confirmari plane, sed etiā gau-
 dere possimus. Ea enim felicitas fuit ex hac vita deceden-
 tis ERICI, quod hunc quem dixi principem illustrissi-
 mum agnatum, compatrem, fratrem reliquit, non modo
 patriæ communis conseruatorem, sed illustrissimæ in sub-
 iectos ciues benignitatis amplificatorem. Nimirum ut
 huic

DELIN. ET LEGES.

huic, cum ab inclytæ memoriæ patre suo, Brunsvigensium
 & Lunaburgensium olim duce illustrissimo HENRICO,
 relictam paternæ atq; auitæ dicionis gubernationem ac-
 cepisset, nihil prius fuit, quam ut, re Ecclesiastica secun-
 dum sacrarum litterarum autoritatem, & orthodoxæ
 Catholicæ antiquitatis perpetuum consensum (in Augu-
 stana illa confessione, eiusdemque Apologia & Schmal-
 caldicis, ut appellant, Articulis, exquisitè comprehensum)
 emendata, ludi aperirentur, non modo ad artium opt. ru-
 dimenta, sed ad perfectiores etiam disciplinarum tracta-
 tiones: ita nunc quoque, ubi illustrissimus ipsi Dux E-
 RICVS agnato fratrique unico gubernationis quasi cla-
 uum decedens tradidit, fore confidimus, ut quemadmo-
 dum regiones has uniuersas, sic & scholam hanc ERICI
 quasi posthumam fauore benignissimo complectatur. Ni-
 mirum illustrissimam ipsius Excelstitatem ita velle scimus
 elucere suam his terris cõciliandæ maioris salutis gloriam,
 ut non modo non obscuretur vlla ex parte agnati fratrisq;
 & compatris ERICI liberalitas, sed illustretur undiq;
 & nouis maiorum commoditatum accessionibus aucta
 propagetur.

Omnibus igitur artium opt. & linguarum cupidis,
 quibus tum Pædagogij huius ad Lainum tum urbis com-
 moditate uti, & huc se discendi causa conferre placet, de
 SENATVS POPVLIQVE GOTTINGEN-
 SIS voluntate significo, expeditos sibi ad nos aditus esse



¶ paratos, neque commoditates hic ad studia proficien-
 da defuturas. Porro Institutionis methodum eandem,
 qua Scholæ vicinæ aliæ utuntur, nos quoque (ut peculiari
 in charta ostendimus) retinendam, neque temere hac in
 parte quid commutandum arbitramur. Ut enim docen-
 di rationem meliorem inuenire, atque ad ostentationem
 plaususq; maiores comparare se quis posse existimet; com-
 munis tamen illa, cui a multis iam annis receptæ his in re-
 gionibus scholastici plerique omnes assueuerunt, si idoneos
 affecuta interpretes recte percipiatur, ingenijs non ni-
 mium vel superstitiosis vel contentiosis satisfacere potest.
 Erudita igitur hoc in ludo & consentanea adolescenti-
 bus institutione præparatis quasi surculis conferentur A-
 cademiæ cum vicinæ aliæ, tum illa in primis IULIA, &
 quod eadem ibi (quantum $\Sigma\chi\alpha\varsigma$ opt. disciplinarum atti-
 net) de iisdem sint audituri, progressionibus ibidem celeri-
 oribus nulla deinceps inferetur mora. Quod sane Got-
 tingensium Pædagogij institutum eiusmodi est, ut non
 modo ciuium, sed externorum quoq; favore sit proficien-
 dum, studio adiuuandum, opera denique pro cuiusque vi-
 rili augendum. Grauius saepe queri multos memini, suos in
 Academijs magno diu tum æris tum temporis, non etiam
 numquam valetudinis dispendio versatos, non paulo inde
 redire deteriores quam abierant. De qua iuuentutis ca-
 lamitate & ipsorum Professorum Academiarumq; præ-
 sidum crebræ extant querimonie. Nimirum in ista ple-
 rumque particularium (ut appellant) scholarum infelici-
 tate,

DELIN. ET LEGES. 7

rate, ubi præmia docentib. nõ satis digna, discantib. nulla fere sunt proposita, ob mutatos sæpius cum præceptores tum præceptiones haud accurate adolescentibus informatis, pravis etiam sæpe moribus imbutis, idem quod plantariis intempestive sæpius translatis accidit. Itaque paululum ætate progressi, ubi sine solidis litterarum fundamentis ad scholas tandem remotiores & Academias mittuntur, grauiore studiorum tractationes fastidiunt, suæque farina commilitonibus aggregati, professoribus indies negotia suæque sibi salutis pericula facessunt; pretioso illa vitæ suæ otio, quasi fruges tantum consumere nati, ad vitiorum tantum illecebras abutentes, suorumque procul expectationem & spem frustrantes. Illas igitur propinque educationis hinc, & liberalis institutionis commoditates si populares nostri siue conterranei contemnent, Cratem audient aliquem tandem increpantem stultitiam parentum & deliras voluntates; quod, cum insatiabili plerumq; teneantur diuitiarum cupiditate ita obstricti, vix ut possint respirare; tamen quibus illas sunt relicturi liberis erudiendis curam vel minimam vel nullam impendant. Sane cum multis nominibus, tum illa in primis re laudem meritos accepimus Athenienses, quod cum cæterorum Græcorum legib. liberi deberent omnes alimenta parentibus, Atheniensium non nisi quos bonis artib. hi curassent erudiendos; quod deinceps & Romani secuti sunt. Etenim ex XII Tabul. fragmentis illa quoq; memoratur; **FILIVS ARTE CARENS PATRIS INCURIA, EI-**

B

DEM NECESSARIA VITÆ SVBSIDIA
 NE PRÆSTATO. Præcipue autem ordinem eque-
 strem ad generis splendorem adiicere par est scientiam lit-
 terarum. Vt enim maiora Nobiles Reipubl. onera susti-
 nere debent, ita & accuratius eosdem educatos, rerum-
 que & linguarum cognitione maiore instructos oportet
 sapientia cæteris præstare. Neque obstet barbara quo-
 rundam illa & agrestis opinio, non satis scilicet equestres
 se vel militares haberi putantium, si litterarum videan-
 tur periti. Non ea fuit olim Persicæ, non Græcæ, non Ro-
 manæ nobilitatis sententia; ubi quo esset familia quæque
 illustrior, eo maiori fuit eidem curæ, ut ingenium & lin-
 gua & mores natalibus responderent. Quin & illu-
 strissima illa serenissimæque Nobilitatis Germanicæ lu-
 mina, Romani Imperii Septemviri, Imperatorem cre-
 ant, non quem sola familiæ dignitas rei que militaris sci-
 entia, sed litterarum quoque doctrina commendat. Im-
 peratoriam enim Maiestatem (inquit Imp. Iustin.)
 non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet
 esse armatam. Itaque & ipsi quos dixi, principes &
 electores liberos suos, quorum humeris gerendæ Reipubl.
 Romanæ onus in euentum omnem incumbit, statim ubi
 infantia anni præterierunt & pueritia incipit, commit-
 tunt lege Carolina, doctoribus litterarum; eas beatas esse
 putantes rebusque secundis florere terras, quibus Princi-
 pes recte instituti præsint. Neque vero soli ipsi, sed alij
 quoq; Imperij principes, disciplinarum atque artium opt.
 exer-

exercitationem magni faciunt, & munifica liberalitate
 sumptus in scholasticas congregationes maximos impen-
 dunt, ut præclare testantur illæ passim in Germania am-
 plissimis tum stipendijs ædibusque tum priuilegiis funda-
 tæ Academia; inter quas singulari cum splendore elucet
 illa uberrimos edens fructus in omnibus regionum harum
 locis IVLIA; quam ut perpetuo diuina benignitas sar-
 tam tectam præstet, votis ardentibus nos precari decet
 uniuersos. Inprimis vero clementissimi nostri Princi-
 pis & Domini, Domini IVLII, & serenissimæ eius-
 dem coniugis, illustrissimorumque liberorum & uniuersæ
 domus Principalis, salutem, incolumitatem, dignita-
 tem, fortunas, Deo propitio votis supplicibus commende-
 mus; religiose petentes, ut illustrissimam ipsius Excelsita-
 tem in diuturna felicitate conseruet, atque collatas iam i-
 psi terrarum accessiones tueatur, pluresque his insuper a-
 lias pro clementissimo suæ benignitatis fauore addat; &
 sanctum iam illud HENRICO IVLIO summa spei
 Principi, cum illustrissimi Principis Electoris AVGV-
 STI filia serenissima DOROTHEA singulari Dei
 numine & voluntate contractum coniugii suauissimi
 vinculum benedictione sua omnipotenti fortunet, ut de
 Imperatoria utrinque illustrissimi generis stirpe lætissima
 soboles propagata, & saluis atque fortunatis parentibus
 multiplicata crescat, tum in famam dignitatemque, tum
 in potentiam & opes utrinque auitas; ut in perpetua
 communis patriæ tranquillitate floreat Ecclesiæ, Ciui-

tates, Scholæ, utraque inuocatione celebretur Deus æternus, iustus, misericors, omnipotens, Pater, Filius, Spiritus sanctus, uiuens & regnans seculis infinitis.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ ΣΙΒΕ ΔΕΛΙΝΕΑΤΙΟ ΠΑΔΑΓΟΓΗ ΓΟΤΤΙΝΓΕΝΣΙΣ.



ΤΥΔΙΟΣΟΡΥΜ professio est, *Ratione & Oratione* prudentius uti quam cæteri homines. Itaque Pædagogij ille quasi bipertitus scopus est, *διώαμης ἐρμηνευτικῆς, & σωέοις (φυσικῆς, πολιτικῆς, καὶ θεολογικῆς,)* id est, tum *SERMONIS* (emendati, probabilis, ornati) facultas, tum *RERUM* (Physicarum, Ethicarumque & Diuinarum) cognitio, cum religiosa pietate viteq; honestate coniuncta.

Pueri igitur, ubi cognoscere primum *litteras* & pronuntiare, & *syllabas* ex litteris confectas proferre, *vocefque* ex syllabis compositas recte pingere, atque secundum octo orationis partes discernere, & *Nomina, Pronomina, Participia* declinando, *Verbaque* coniugando inflectere (magis id quidem exemplis siue exercitatione & consuetudine, quam ratione artis seu regulis) edocti; perceptis præterea (*Christianæ religionis capitibus* ex Germanico *Martini Lutheri Catechismo*, & comparata nonnulla ex *Nomenclatore* vocabulo-

cabulorum copia in Scholæ inferioris classibus tertia & secunda: & deinceps in eiusdem Scholæ inferioris classem primam prouecti, voces rite distinctas inflexasque ex *Phil. Melanchthonis Grammatices Epitome* didicerunt *construere*, atque Etymologiæ præcepta in classibus tertia & secunda inchoata maiori studio continuarunt, nec non *vocabulorum* in iisdem comparatam copiam ex *Nomenclaturæ Hadriani Iunii Compendio* auxerunt, & tum ex *Catonis distichorum* tum *P. Mosellani & Lud. Viuis Dialogorum* alternis prælectionibus ac repetitionibus vsum Grammatices perspexerunt, Germanicisque scriptionum thematicis, siue (vt appellant) *Argumentis* in linguam Latinam transferendis exercere se inceperunt, & præter solidiora pietatis religiosæ ex Latinogermanico *Lutheri Catechismo*, & *Euangelis Dominicalibus* iacta fundamenta, *Musices* quoque tum *Choralis* tum *Figuralis* cognitionem & vsum aliquem consecuti sunt:

IN PÆDAGOGIVM transferuntur, atque ibi quæ in Schola inferiori breuius ex *Epitome Grammatices Phil. Melanchthonis* tractata sunt, vberius exponuntur ex *Maiori*, vt appellat, eiusdem *Philippi Grammatica* TERTIARIIS VNA & SECUNDARIIS, hora sexta diebus Lunæ & Martis a Basilio Michaëlio: sed Mercurij, explicata *Profodia* libri eiusdem, ad vsum transfertur die Veneris; vbi ex *Tibulli, Propertii*

PAEDAGO-
GII GOT-
TINGENSIS
CLASSIS
III.



Ovidiique Elegiis a Murmelio collecti præleguntur *Loci communes*, & pueri in componendis versibus exercitati poëtarum autoritatibus assuefiunt hora eadem, interprete eodem. Et *M. T. Ciceronis minores*, quas vocant, *Epistolæ* cum *Analyfi grammatica* tractabuntur singulis diebus hora septima a M. Isaaco Wuch. qui die Martis eadem hora dictabit simul *Thema siue Argumentum* ad prælectiones accommodatum, in linguam Latinam conuertendum, & in sequenti proxime die Iouis exhibendum; vbi ab vtroque tum M. Isaaco, tum Basilio emendabitur.

Hora octaua diebus Lunæ & Martis *Virgilii Bucolica*, sed Mercurii & Veneris *Fabulas Æsopicas Latinas Ioach. Camerarii* præleget idem M. Isaacus. Pomeridiana duodecima diebus Lunæ & Martis *Arithmeticam* docēte Georgio Coco, Mercurii & Veneris *Musica* cantore M. Isaaco, habet hæc Classis cum secunda & prima communem. Hora prima *Grammatices Græcæ Argentinensis* partem priorem diebus Lunæ & Martis; sed Mercurij & Veneris *Fabulas Æsopicas Græcas* prænominato Grammatices libello coniunctas, cum *Analyfi grammatica* M. Isaacus. Secunda, *Lælium Ciceronis* cum Grammaticis assidue repetitionibus explicabit Basilius Michaelius diebus Lunæ, Martis, & Mercurij: sed diebus Veneris *Regulas vitæ Græcas Posselii*. Diebus autem Iouis concione matutina finita, septima
vel

velex *Buchanano psalmum* aliquem *Davidis*, vel ex *Ecclesiasticorum* ab Ellingero recognitorum *Hymnorum* libello aliquod tempori cōueniens *Carmen* præleget (quoad per emendationes Argumentorum poterit) Tertiariis cum Secundariis, M. Basilius Michaëlius. Primariis vero Pædagogij Theologus M. Cyriacus Pflaumkern primitiua Christianorum Ecclesiæ historiam a D. Luca expositam, quæ *Acta Apostolorum* vocant, proponet. Ab octaua ad nonam *Scriptionum Themata* illa siue *ἑρμηνείαι & Argumenta*, id est, rerum quæ fieri solent, ficta negotia, ex sermone Germanico in Latinum conuersa, & contra; emendabuntur: in Classibus deinceps secunda & prima pro discipulorum qualitate & captu, magis magisque continuanda; ita vt Secundarij carminibus etiam Latinis, sed Primarij Græcis quoque, & Orationibus insuper componendis, exerceantur. Diebus vero Saturni hora sexta vt in classibus Scholæ inferioris, ita in hac quoque tractabuntur Religionis Christianæ capita ex *Catechesi Græcolatinogermanica Martini Lutheri* a M. Isaaco. Sed hora septima *Euangelium Dominicale* Græcum ab eodem. Et octaua *Ioach. Camerarii Præcepta morum ac vitæ* Tertiariis vna cum Secundariis.

Iam vero cum ad pleniorum Græcæ Grammaticæ CLASSIS I. I. expositionem & vsum progredi nos oporteat, idque in infimo hoc Pædagogij ordine sine pertur-

batione fieri nequeat, sua seorsum prouectioribus classe constituta, *Græca Grammatica Argentinensis* pars altera his (quos SECUNDARIOS appellamus) explicabitur. Ut igitur vberiore Grammatices Latinæ expositionē audiunt vna cū TERTIARIIS secundæ huius classis discipuli hora sexta, sic Græcæ quoque Grammatices præcepta iisdem tradentur accuratius ex *Grammatica illa Argentinensi Golii* diebus Lunæ & Martis: sed diebus Mercurij & Veneris *Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέραι, Homeri βαρβαρομομαχία, Pythagoras, Phocylides Theognis; Plutarchus ἐπιπέδων ἀγωγῆς, Isocratis orationes & similia*, hora septima a Georgio Coco: vsusque præceptorum demonstrabitur, exhibita semper a discipulis *Analyti Grammatica*. Hora octaua, *Epistolæ Ciceronis ad Famil.* (vnde styli exercendi Argumenta dictentur) diebus Lunæ & Martis. Sed Mercurij exponentur *L. Lofsi Erotemata Dialectices*: Veneris *Rhetorica eiusdem* ab eodem Georgio Coco. Pomeridiana prima, *Terentii Comædias* SECUNDARIIS diebus Lunæ & Martis præleget Basilus; sed Mercurij & Veneris iisdem *Epistolas Heroidum Ouidij, librosq; Tristium & de Ponto, idem*. Secunda, *Lælium Ciceronis & Regulas Posselij* communes habent cum TERTIARIIS. Diebus Saturni hora sexta, *Euangelium Dominicale* ex Ioh. Posselio Cocus SECUNDARIIS. Sed *Catechesin D. Chytræi* tradet iisdem hora septima M. Coccius. Hora octaua, *Præcepta morum*
his

his cum TERTIARIIS sunt communia.

Sic igitur præter Religionis Christianæ capita CLASSIS I.
Linguarum & Artium dicendi cognitionem vsumq;
 exquisitiorem consecutis adolescentibus, noua seor-
 sum classe & ipsis opus est, vbi Dialectice Rhetori-
 ceq; tradantur accuratius, & Latine Græceque scri-
 bendo, nec non disputando atque declamando stu-
 diosi exerceantur, & solidiorem sibi ex optimis tum
 Latinis tum Græcis scriptoribus rerum cognitio-
 nem comparent. Hora igitur sexta *Topica Cicero-
 nis* interpretabitur Henr. Petreus Pædagogiarcha,
 diebus Lunæ & Martis: sed dieb. Mercurij & Vene-
 ris *Partitiones Oratorias* eiusdem Ciceronis, & *Rheto-
 rica Phil. Melanchthonis*: & ad styli exercitationem
 non Germanica iam amplius Argumenta præscri-
 bet, sed *Propositionem* aliquam secundum præce-
 ptiones Rhetoricas tractandam dictabit; ostensis
 breuiter, quibus ea confirmari possit argumentis,
 quibusque obiecta rationibus confutari. Hora se-
 ptima, prælegentur tum *Cyrspedia Xenophontis &
 Isocratis & Demosthenis orationes*: tū *Theocritus, Pin-
 darus, Euripides, Aristophanes, Homerus*: item *Officia
 Ciceronis & Orationes, & Ethica Phil. Melanch.* Ho-
 ra autem octaua, *Institutiones Iustiniani Imp.* Hen. Pe-
 treus P. Pomeridiana prima, *Instit. Iust. Imp.* Con-
 rad. Heineman V.I.D. Secunda, *Dialecticam Phil.
 Melanchthonis* explicabit M. Coccius dieb. Lunæ &

Martis: sed Mercurij & Veneris *Horatium, Virgilium.* Hora tertia, diebus Lunę *Digestorum tit. pen. de verborum signif.* H. Petreus Pædag. Diebus Saturni hora sexta, *Examen Theologicum Phil. Melancthi.* M. Cyriacus Pflaumkern Theologus. Hora septima, *Catechismũ Ioach. Camerarii Græcum, quadrilinguem Claii, Latinum D. Chytræi* præleget M. Cyriacus Coccius. Hora octaua, *Lingua Ebraicæ rudimenta* docebit Basilius Michaelius.

Porro diebus Iouis, dum feriantur a meridie classes cæteræ, *Sphæricam doctrinam* vel ex Procli, vel e Sebastiani Theoderici Winshemij, vel e Peuceri libellis Sphæricis, hora duodecima proponet primariis M. S. V. M. D. Sed hora prima *Physices doctrinæ Epitomen* dictabit Georgius Cocus, eandemque explicabit: cui etiam loco suo *Partium corporis humani expositionem inseret.* Hora vndecima, *Disputationibus Scholasticorum & Declamationibus* ad prælectiones ordinarias accommodatis; *Comædiarum* item *actionibus* intererunt Præceptores vniuersi. Cæterum Comædiæ agentur potius & memoriter recitabuntur a Primariis, quam iisdem peculiariter explicabuntur: & quod Argentinensibus atq; Lauingensibus aliisque Scholis insignioribus hac in parte placet, nobis id non displicet.

Singulis vero diebus Scholæ vtriusq; classes ob-
eundo Pædagogiarcha & Vicerector consignatio-
nem

nem eorum qui in statuta legesque Scholasticas deliquerunt, a Præfectis exigent, & deinceps pro modo delictorum multas improbis irrogabunt.

Deniq; examinati solenni quotannis ritu Scholastici ad ordines superiores prouehentur, & ij qui vel orando, vel disputando vel commode respondendo industriam suã & progressiones DDn. Scholarchis probauerint, præmiis afficientur & honoribus.

Σκιαγραφία est hæc siue Delineatio noui ad Latinum Pædagogij nostri: a qua, nimirum accommodata ad captum puerorum nostrorum & adolescentium, non recedendum temere, neque autores & libros docendique rationem facile mutandam existimamus. Etenim ab institutis cum vicinarum tum remotiorum plerumque Scholarum nihil deflectit hæc quasi Argo nostra, & ad illam studiis nostris propositam *σωεσον καὶ δώαμιν ἔρμηνειαν*, siue ad bipertitam illam eruditæ atque disertæ sapientiæ quasi arcem, passis velis contendens, periculosas studet mutationum Syrtes declinare. Probamus vero & amplectimur præter instituta Academiae Iuliæ, cum Scholas Argentinenses restitutas ab eruditissimo Iohanne Sturmio, tum ea quæ de litterarũ ludis aperiendis edidit cl. vir iurisque consultus disertis. Iohannes Caselius, ciuis noster, Academiae Rostochiensis columen: quæ & iam & in posterum nostri

cum discipuli tum Præceptores subinde respectantes intuebuntur, ad eaque omnem cum discendum docendi rationem, quoad circumstantiarum qualitates ferent, accommodabunt.

Cæterum ubi auctus studiosorum numerus uberiorum quam illas artium opt. ac disciplinarum tractationes requiret, ne utiquam commoditates nobis defuturas speramus, maiora expectantes subsidia cum a Senatu Populoque Gottingensi, tum ab illustris. Principe ac Domino, Domino I V L I O, Duce Brunsvigensi & Lunæburgensi, domino & patre nostro clementissimo, qui in illis ex decessu patrij Principis E R I C I obortis mœroris tenebris, quasi prosperi sideris fulgor apparens, cum a toto Visurgi, tum a Laino hic Musisque nostris tristitiæ mox nubibus depulsis, serenitatem lætissimam reduxit. Quem clementis. patriæ patrem D E V S æternus cum serenissima coniuge, liberisque illustris. totaq; domo principali, manu sua potentissima protegat, atque principatum eius confirmet ad nominis sui diuini gloriam & hominum salutem.

A D

AD SENATVM POPVLVMQ.

Gotting. Oratio Henrici Petrei, cum ad eundem Pædagogij noui insignibus inuestiendum, atque ad statuta legesque promulgandas conuenissent 4 Calend. Maij, anno Seruatoris Christi MDLXXVI.

VM, prudentissimi, reuerendi, clarissimi, honesti, pietate, eruditione, virtute præstantes viri, & vos adolescentes studiosi; cum, inquam, Dei nostri clementissimi benignitate hunc nobis diem feliciter illucescere contigerit, quo Senatus populusque Gottingensis recens ad Lainum fundati Pædagogij huius leges, diu multumque iam cogitatas, sæpe retardatas, promulget; gratias agere nos decet eidem DEO æterno quantas maximas possumus, eundemque precari votis ardentibus, ut iacta hæc gymnasij nostri fundamenta euenire velit ad celebrationem & laudem sui nominis sanctissimi, & elaborationem nostræ salutis.

Tibi igitur Domine Deus noster, iuste, verax, & clemens, patiens & multæ benignitatis, faciens misericordiã in millia, & veniam dans iniquitatibus; tibi uni, vero, æterno, patri filio spiritui sancto, gratias agimus toto pectore, quod tua adhuc nobis gratia saluis diem hunc prosperum largitus es; teque precamur votis sollicitis, ut ad institutum hoc, ad hanc Scholam, oculis benignis respicias, tuoque spiritu mentes ac voluntates nostras conuertas

ad intelligendum & sequendum vera & honesta; ut vitam non prauis indulgentem cupiditatibus, non incertam neque desidem, sed Christiane officiosam agamus, & iustam cum dicendo tum agendo; tuique Deus æterne, cognitioni, tuis beneficijs agnoscendis vacemus, simusque perpetuo ciues tuæ sanctæ catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ, te venerantes atq; adorantes in vita cum hac tum altera seculis infinitis.

Porro cum tempus hoc promulgandis, ut dixi, legibus sit destinatum, præstem equidem vobis intempestiuam benevolentiam, si, quæ legum recitationi assignatæ sunt horæ, verbosis eas impendam declamationibus, & vel de Scholarum atque studiorum liberalium dignitate, fructu, necessitate; vel de Magistratus, ad Scholas tum instituentis tum factas tectas præstandas obligati officio; vel denique de consequentibus litterarum neglectionem malis ac detrimentis, orationem hic prolixam habeam.

Et ut me tempus minime deficiat, tamen ineptus forem, si coram vobis tum litteratis tum studiorum liberalium amantissimis, vel de laude artium opt. vel de officio vestro verba facerem.

Si tamen currentes etiam meis vos interpellationibus urgeri fas est; reuerenter equidem vos oro atque obtestor, ut, quemadmodum cæpistis, ita pergere, prima ultimis sancto & ad omnem posteritatem inuiolato vinculo connectere, neque præclaros conatus imperfectos relinquere velitis.

Nota

Nota est aurea Platonis a M. Tullio Cicerone celebrata sententia illa, quatum deniq; fore beatas Respublicas affirmat, si aut docti & sapientes regere eas cœperint, aut qui regunt, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocarint. Quia propter cum turbulentus sit & minime felix temporum nostrorum status, cladesque indies secuturae maiores ante oculos nobis versentur uniuersis, & quã luxata conuulsaque sint omnia ferme Reip. Christianae membra non iam videre modo sed plane sentire videamur; manifestum est inde esse nimirum illas quibuscum conflictamur calamitates, quod ij qui Respublicas administrant, nec sint docti satis, nec omne suum studium in doctrina ac sapientia collocarint. Nam quas docti & sapientes regunt Respublicas, beatæ sunt.

Quæ etsi plerumque ab ijs qui nec docti nec vsuperiti temere nulloque consilio gerunt omnia, ridentur; res tamen ipsa clamitat, ipsaque, certitudinis nota omnium certissima, experientia testatur, in communi hominum societate causam esse miseriarum omnium, stulticiam & temeritatem. quod & sacrae litteræ ostendunt, & Væ terræ inquit cuius rex puer est.

Sed natas ex artium opt. contemtionem miserias si percensere hic velim, Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Vere igitur Cicero ille noster, nullum ait munus Reip. afferrimius meliusue posse, quam si erudiatur iuuentus, omniumque opibus refrenetur.



Sic videlicet Lysis quondam Tarentinus, philosophus Pythagoreus, cum ruinosæ Thebanorum reip. instauranda rationem videret aliam nullam, Epaminondam, adolescentem in primis ingeniosum, erudiendum suscepit, qui sua olim sapientia & virtute collapsum Thebanorum imperium restitueret. Quæ philosophum expectatio adeo non fefellit, ut tum Xenophon in lib. septimo ΕΛΛΗΝΙΚΩΝ, egregiæ prudentiæ ac fortitudinis laudem Epaminondæ tribuat, tum Amylius Probus vitæ eiusdem ita quasi Colophonem addat, ut unum hunc virum pluris fuisse dicat quam totam Thebanorum ciuitatem, quæ & ante Epaminondam natum, & post eiusdem interitum perpetuo alieno paruerit imperio, cum, quamdiu ille præfuerit Reipublicæ, caput fuerit totius Græciæ.

Quapropter ut rei rusticæ autores, eum, qui vineam pomariumue instituere velit, parare iubet vitium pomorumue seminarium, unde vel senio corruptis & quasi emortuis, vel tempestatum vi disiectis arboribus, nouam quasi sobolem substituatur: ita quo populus quisque prudentior est, eo maiorem in ludos litterarum, unica Rerumpublicarum seminaria, curam impendit, unde siue Ecclesiarum Antistites, siue rerum Politicarum præsides destinatione vitæ huius decedant, in demortuorum locum administrari possint idonei surrogari.

Ita Iosephus, luculentissimus rerum Iudaicarum scriptor, nihil ait tam Judæis quondam curæ fuisse, ut piam honestamque iuuentutis educationem. Ita primi nostri
 parentes;

parentes; ita Enos & Noah; ita magna illa post diluuium generis humani luminaria Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, liberos suos suamq; familiam vitæ tum religiosæ tum honestæ præcepta ipsi docebant, ipsi sacrorum antistites, ipsi Pedagogiarcha, & suæ quisque Scholæ ipse magister.

De Mose vero, legumlatore illo omnium ut vetustissimo ita optimo, quid dicam? qui liberali in aula Pharaonis disciplina accurate educatus, demumque ad rerum Israeliticarum gubernacula diuinitus euectus, classes sacerdotum & Leuitarum ad Tabernaculum Domini instituit, in quibus Legis & Euangelij doctrina explicaretur, reiq; publicæ gerendæ ratio traderetur.

Denique singulari prouidentia Domini factum, ut post Mosen in populo DEI serie continua deinceps alij alijs succederent, qui Bibliorum interpretes essent, inde usque a Mose ad Zachariam; huiusque filium Iohannem Baptistam; ad Simeonem; & ipsum CHRISTVM, filium Dei nostri æterni; qui ubi de caelesti regno suo & maiestate diuina ad humilitatem originis terrenæ se demittens, & nostram mortalem carnem induens, homo natus DEI filius omnipotens, opus salutis nostræ secundum voluntatē diuinam in his terris perficiendo absolueret, tum suo ipse exemplo a Scholis religiosæ pietatis rerumque necessariorum cognitionem petendam puer etiam ostendit, tum verus ipse sacrarum litterarum interpretes, Scholas habuit frequentissimas.

Assumptus vero in cælum, & sedens ad dexteram

D

patris omnipotētis, magistrum nobis doctrinæ celestis eximium misit Spiritum sanctum, *Ἐπέμψεν γὰρ ὁ θεὸς ἐν εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν*, efficacem per doctrinam scripturarum, atque exponentem & declarantem Euangelium Christi ignotum & occultum mundo huic uniuerso, Doctorem in animis & cordibus fidelium habitantem, mentesque mouentem, & voluntates credentium dirigentem ad consilia pia & religiosa, & actiones honestas atque laudabiles.

Vbi igitur post Christi in celos ascensionem ad Gentes quoque siue ad Ethnicos veritatis celestis propagata esset magistri illius siue doctoris Sp. sancti beneficio doctrina, floruerunt Apostolorum, horumque discipulorum temporibus Scholæ Antiochena, Alexandrina, Casariensis, in qua Origenem docuisse; & Byzantina, cui Basilium præfuisse memoriæ proditum est; & complures deinceps alia. Etenim cum sacrarum litterarum monumenta tum Hebraico tum Græco sermone sint cōscripta, ita ut Deus per Mosen, Psalmos & Prophetas non nisi Hebraice, Christus vero per Euangelistas & Apostolos Græce nobiscum loquatur; qui sententiam & voluntatem diuinam percipiemus, si linguam & sermonem non intelligamus? Linguarum igitur, & logicarum, ut appellant, siue dicendi artium (Grammatices præcipue) cognitione opus est. quam, nisi a Scholis, unde petemus?

Quamobrem & maiores nostri, natio Saxonica, etsi Christianæ religionis doctrinam serius acceperunt, tamen ut acceptam fideliter conseruarent, ludos litterarum, ceu officinas

officinas opt. artium & linguarum, Ecclesiaeque & Reip. Christianae seminaria, instituerunt, & labores tum docentium tum discipulorum iustis premijs ornarunt; quod Canonorum adhuc & Monachorum ostendunt collegia, & concessi antiquitus Canonicis tituli Decanorum, Custodum, Scholasticorum, Cantorum. Verum haec, ab alijs antehac saepe commemorata, omitto.

Sane, si unquam alias, nunc pijs magistratibus cura esse debet, ut commoditas hoc genus vitae quietae ac placidae amplectentibus ne desit, utque loca studijs liberalibus consecrata frequentari possint, atque ad illa frequentanda quam plurimi inuitentur. Etenim si quasi stertentes perpetuo & veterno torpentes, regni pontificij illos passim in Iesuitarum ludis ad Rhenum, ad Mœnum, ad Danubium, ad Fuldam, imo ubique terrarum apparatus ociose nos aspicere non puduerit, quam tandem posteritati sumus incuria & negligentia messem relicturi?

Praeclaram vero Argentinesium, Lauingensium, Norimbergensium, Augustanorum; Tremoniensium item, Herfordiensium, & Magdeburgensium, & nonnullarum ciuitatum aliarum prudentiam & pietatem remotissimae etiam nationes & populi praedicant, curantibus nimirum illis, ut recte constitutis scholis erudita sit iuuentutis & consentanea omnis institutio, cum ad prima pietatis atque liberalium artium rudimenta, tum ad tractationes studiorum perfectiores.

Kos quoque, GOTTINGENSES, in illorum quos

dixi magistratum prudentissimorum numerum atas cum
 nostra tum futura aggregabit, & merita quæ in studia no-
 stra confertis, laude immortalis celebrabit. Neque vero
 Deus opt. ter maximus, Scholarum autor & tutor, nul-
 lis præmiis vestra illa beneficia remunerabitur.

Florescet ciuitas vestra & crescet quotidie magis, ut
 puræ atque intemeratæ religionis artiumque optimarum
 gloria, sic prudentiæ quoque laude & fortunis. Etenim
 Gentibus etiam, ut supra ostendi, experientia edoctis, li-
 beralium disciplinarum subsidio fortunatas esse ciuitates,
 persuasum fuit: quod versib. elegantissimis expressit Cal-
 limachus litterarum præsidem laudans. Apollinem, de ci-
 uis capillis salus destillet & incolumitas Rerumpubli-
 carum.

ἔ λιπος (inquit) Ἀπόλλωνος ἀπὸ σαΐζουιν ἔθραυ,
 ἀλλ' αὐτὴν πῶρά κεν εἶν' ἄσφδ δὲ ὦ κεν ἐκθνα
 πῶθ' κες ἔραζε πῶσων, ἀκθία πῶτ' ἐθρονε. Hoc est,

Non flauis liquido Phæbi fluit unguine crinis,
 Rore sed ambrosio, sed odorifera Panacea.

Hoc urbs rore madens, florensque potensque geret rem.

Ceterum me quod attinet, operam dabo, ut Deo pro-
 pitio successus nobis largiente, satisfaciam expectationi
 vestræ si non eruditæ doctrinæ copia, at diligentia docendi
 & fide. quod de collegis etiam meis & hypodidascalis spe-
 rare ego, illi præstare possunt.

Sane si operis nostris discipulorum industria respondeat,
 neque inuita suo fungatur officio iuuentus, nihil dubita-

rim

rim

rim

rim

rim posthac vobis labores abunde nostros probare. Neque ullum equidem maius sacrificium DEO fieri posse existimo, quam in hac rerum omnium perturbatione teneros puerorum animos intemerata religiosa pietatis veritate, rerumque necessariarum cognitione imbuere, & mores conformare ad Reip. Christianæ commoditatem.

Sed, ut supra dixi, destinatas legum has recitationi horas meis me terere declamationib. non decet: cui ἀναγνώσκειν locum cedens, finem dicendi facio, & te fili DEI, IESU CHRISTE, inuoco & obtestor, ut sartum tectum hoc præstes Pædagogium cū nobis tū posteritati. Protege, Saluator vnice, defende & cōserua ciuitatē hanc Theopolim, in qua hospitium est Ecclesiæ tuæ, & sonat Euangelij tui veritas. Largire principi nostro illustrissimo IULIO, domino nostro clementissimo, quietam & pacificam harum terrarum gubernationem, deque regia huius & latissima sobole crescere velis & propagari florentem successionem non modo in titulos atq; laudes auitas, sed in potentiam quoq; & fortunas. Ne aufer a nobis Spiritum sanctum tuum, sine cuius numine præstare possumus & perficere nihil. Tibi Chryste, cum Patre & Spiritu sancto, vni, soli, vero, aeterno & omnipotenti DEO, laus sit & honor & gloria seculis infinitis.

DIXI.

D 3

ORATIO CASPARIS RVDOLFI,
 prudentissimo ciuitatis Gottingensis Senatui a
 Secretis, habita in auditorio supremo collegii
 Paulini Gottinge, die D. Vitali sacro, 4 Calend.
 Maij, Anno Christi MDLXXVI: quum totius
 Reip. nomine, Consulibus totoque Senatu cum
 Tribunis, nec non venerandis Ecclesiarum Got-
 tingenſium miniſtris, præſentibus, in poſſeſſio-
 nem Reſtoratus immitteret HENRICVM PE-
 TREVM.

PRUDENTISSIMI, reuerendi, honesti,
 pietate, eruditione, virtute spectabiles viri,
 & vos nobiles caterique adolescentes stu-
 diosi, non Cicero tantum in libris suis de Le-
 gibus, sed experientia & infinita iamdudum exempla
 demonstrarunt, posse nec domum ullam, nec ciuitatem,
 nec gentem, nec hominum uniuersum genus stare sine le-
 gibus. Vnde Atheniensium orator Demosthenes, Subla-
 tis, inquit, legibus, quum unicuique quod libuerit idem
 licuerit, non modo Respublicæ interibunt, sed nihil plane
 vita nostra a bestiarum feritate differet.

Quapropter cum Magistratus noster prudentissime
 Pædagogium hoc, ceu disciplinarum liberalium domici-
 lium, constituisset, non modo magistris illud & libris vo-
 luit esse decoratum, sed legibus quoque armatum. Etenim

ut cæ-

ut ceterarum rerum publicarum siue congregationum, ita Scholasticorum quoque cœtuum *ἰσχυρὰ*, ut Demosthenes ille, siue, ut Cato vocat, nervi sunt leges; quibus, non ut hominum, sed ut Dei inuento, parendum Iurisconsultus etiam Martianus ex eodem, quem dixi, Demosthene respondit l. 2 ff de legibus.

Cæterum & magistratu opus est, qui quasi legum custos siue Nomophylax obœdientes præmiis, flagitiosos pœnis afficiat. Itaque senatus populusque Gottingensis hoc hoc iam die, quod felix & faustum sit, tum cl. v. Henricum Petreum in Rectoratum & possessionem noui huius Pædagogij solenni ritu immittendum, tum leges, quibus quisq; astrictus esset, promulgandas atque publice hic recitandas decreuit.

Hunc igitur vobis optimarum artium magistri, ceterique scholæ utriusque hypodidascali, hunc vobis nobiles, ceterique studiosi adolescentes, dominorum meorum obseruandorum mandato Pædagogiarcham nunc sisto & commendo; vosque hortor, ut huic Rectori vestro obsequamini, neque contumacia illi vestra & petulantia molestias, vobismetipsis damna & pœnas accersatis. Eum obœdientiæ & reuerentiæ cultum illi debetis mandato primum diuino, quod in quarto Decalogi præcepto exprimitur, & in multis scripturæ sacræ locis iteratur. Deinde, adolescentes carissimi, parentum & propinquorum sollicitos de vobis animos respicere debetis.

Etenim non inertis ocij, non belluationum caussa, qua-

si ad prauarum cupiditatum asylum, sed artes liberales atque linguas discendi gratia, veluti ad pietatis atq; humanitatis officinam, huc missi estis. Denique vos moueat prudentissimi nostri magistratus autoritas, flagitantis ut quem ipse in hoc Pedagogy constituit Rectorem, & præfecit disciplina ac morum gubernationi, huic obædiant cum docentes tum discentes uniuersi.

Hunc igitur amabitis ut patrem, reuerebimini ut Rectorem, sequemini ut ducem. Rex unus est apibus; dux gregum unus; rector unus armentorum; unum græces ducem sequuntur. Et in re militari Multos imperitare malum est, inquit Homerus, rex vnicus esto. Cum igitur & vos milites, & in Musarū castris vos merentes commilitones profiteamini, cogitare debetis, uniuersam militarem disciplinam obædientia præcipue contineri; quam propterea Romani olim tam religiose & sancte esse præstandam Imperatori censuerunt, ut eam liberorum suorum caritatē antiquiorem habuerint. Ita enim Paulus Iurisc. in L. 19 postliminium, § Filius quoque, ff de captiu. & postlim. reu. Disciplina, inquit, castrorum, antiquior fuit parentibus Romanis, quam caritas liberorum. Et Modestinus in L. 3 Desertorem, § In bello, ff de re militari, Qui rem, inquit, a Duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit, capite punitur, etiamsi res bene cesserit. Et Arrius Menander in L. 6 Omne delictum, ff eodem, scribit; contumaciam omnem militis aduersus ducem, vel præsidem, capite puniendam esse.

Hæc

Hæc igitur Romanorum exempla ante oculos in-
dies vobis obuersabuntur; vobisque persuasum erit, præ-
cipuam esse laudem ordinis scholastici decusque præci-
puum, modestiam: quemadmodum & Plato optimum
eum ciuem dicit, qui nullos honores pluris faciat quam le-
gum obœdientiam.

Tibi vero, Henrice Petree, totius senatus populi-
que Gottingensis suffragiis atque consensu designato at-
que confirmato, & in præclara hac Reipublicæ nostræ
parte administranda collocato Rectori, cætum hunc
scholasticum fideliter commendo; quem ita animo com-
plectêris, ita moderaberis, ut augeatur industria tua &
conformetur. qua tibi re veram atque immortalem con-
ciliabis laudem, & exemplum eris successoribus ad imi-
tandum.

Sed suapte sponte currentem quid incito? Quod igitur
superest, trado fideique tuæ committo librum hunc,
in quo tum ciuitatis & Ecclesiarum nostrarum corpus
doctrinæ; tum statuta Pædagogij huius & leges con-
tinentur, quarum tibi executio demandatur.

Accipe & sigillum; & matriculam pædagogij, siue li-
brum in quo membra huius scholæ annotabuntur; & i-
stas, hypodidascalis porro tuis committendas, virgas, ad
coercendam illam (secundum sacras litteras) puerorum
cordibus agnatam stulticiam.

Claues denique hæc tum portarum huius consecra-
tiam piis Musis monasterij, tum auditoriorum atque

carceris. Quibus tui magistratus insignibus iussu te dominorū scholarum inuestio; toto pectore Deum æternum, patrem Domini nostri Iesu CHRISTI, orans atq; obtestans, ut hæc tua administratio grata ipsi acceptaque sit, & Ecclesie Reipublice nostræ salutaris.

Statuta iam dominus Pædagogiarcha
& leges recitet.

HORARVM PÆDAGOGII

DISTRIBVTIO.

HORÆ quibus detineantur in Pædagogio cum Præceptores tum discipuli, constituuntur vt temporis ratio fert & scholasticorum.

Ab æquinoctio igitur verno Gymnasium accedunt hora matutina sexta: egrediunturque nona. Ab autumnali vero, accedunt septima, & decima abeunt.

A meridie semper duodecima comparento vniuersi, & tertia dimittuntur.

Qui a septima ad octauam, & deinceps a prima ad secundam docent, quadrantem ante octauam & secundam vacuum relinquunt. Tum quibus opus fuerit exeunt, atque ad sonitum tum octauæ tum secundæ redeunt.

Præce-

Præceptores ad auditoria primi obuersantor, egrediuntor postremi.

Vsitatæ adhuc habentor per hebdomadem feriæ, sub ortum præcipue caniculæ; quarum ratio requiem habet in discipulis studiorum, in Præceptoribus laborum; cum, quod caret alterna requie, durabile non sit.

Diebus Iouis, Saturni, Dominicis, feriisque sacris ad solitos campanæ pulsus, vel in suo quisque Pædagogij auditorio, vel (vt pro temporū qualitate Pædagogiarchè videbitur) in templo statim compareto, suoque loco verecunde consistito: psalmos & hymnos, quos Cætor ordinarius præcinit, linguæ mobilitate eadem, spacijsq; tum versuum tum verborum iisdem, intelligenter cantato; conciones sacras diligenter audito, memoriaque deinceps repetito.

DE SCHOLA INFERIORI.

SCHOLÆ inferioris instituta ad Pædagogij rationes accommodata seruantor, huiusque Magistri Pædagogiarchè & Vicereктору obtemperanto.

Tertię classis pueri ludum mane ingredientur æstate septima, sed hyeme octaua: domumque redibunt æstate nona, hyeme decima. A meridie in Schola comparebunt hora prima, egredienturque tertia. Secunda & prima, statas, vt antehac, horas retinebunt.

Hora pomeridiana duodecima, Musices tum choralis tum figuræ præceptiones tradet primariis & secundariis Valentinus Duoldius, Classis tertie præfectus; qui & dominicis ceterisque diebus & feriis Musicæ choralis præerit, chorum templi fideliter administrabit, ac pueros cura maiore verecundæ pietati assuefactos Latine Germaniceque canere docebit, inque oscitantes, discurrentes, gesticulantes, absentes animaduertet. Cætera ex Pædagogiaracha audient Magistri & Vicerectore.

Figuræ vero cantus diebus dominicis feriisque sacris Musico Pædagogij commissus esto. Eundem ut in templo sacris feriis, & dominicis Iouis Saturnique ad vesperam diebus, primum omnium præsto esse oportet, loco superiori Scholæ destinato, & funerum indies exequias prosequi, ita cæteris diebus, ut alacrius suos horis ordinariis in Pædagogio docere possit, ab inferioris Scholæ chorum administrandi munere sit immunis. Etenim vere vulgus ait, *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

PÆDAGOGIARCHÆ ET

cæterorum Præceptorum Magistrorumque officia.

PÆDAGOGIARCHA doctrina, diligentia, temperantia, humanitate, auctoritatem suam tuetur:

VT

vt Præceptorum quisque officium faciat animadu-
uertito.

Eum vt intentis oculis omnes Pædagogij Scho-
læque inferioris partes intueri, atque ingenia moref-
que adolefcentum vniuersorum introspicere, non e-
tiam nunquam Magistrorum prælectionibus & te-
stem & admonitorem adesse, & subinde interpel-
lantes se tum ciues tum externos audire, ac in sua de-
nique statione diligenter decertare conuenit; ita plu-
ribus idem in diem horis quam binis docendo ne o-
nerator.

Eidem in administranda re scholastica Præcepto-
rum vnius semper industria adiungitor, isque Vice-
rector appellator, ac numeratæ a nouitiis in album
ascriptis primum pecuniæ, ceu gratuitarum subinde
expensarum subsidij, cum eodem particeps esto.

Semestre sit officium hoc, cæterisque deinceps
Pædagogij magistris eadem prouincia dator.

Si quem Præceptorum vel honoris vel necessita-
tis causa cōtingat auocari, Pædagogiarcham aut Vi-
cerectorem certiore facito, aliumque dum abest,
discipulis præficito.

Qui sine Pædagogiarchæ viceuerectoris permisso
abfuerit, quinque grossis, cum stipendium petet,
multator, eaque multa in diligentiores confertor.
Cum primis enim puerorum interest, in Schola cer-
tum ipsis definitumque semper adesse inspectorem.

Nam, ut est in Proverbio, *παραβάτων γὰρ ὄφελος, εἰς τὸν ποιμὴν ἀπή.*

In explicatione tantum id traditor, quod est in autore qui enarratur, neque prolixis adolescentibus hinc inde conquisitis commentariis grauantor: sed ut viator ad comitem, sic docens ad auditorem se accommodato.

Exercitiorum & scriptionum argumenta seu the-mata, sumuntur ex iis tum Epistolis cæterisque ope-ribus Ciceronis, tum aliorum autorū libris, qui præ-leguntur, ut in promptu sint adolescentibus tum res tum vocabula.

In monendis & castigandis adolescentibus negli-gentia & remissio absit, seueritas absque crudelitate, vituperatio absque maledicto adhibetur.

Singuli singulis suo loco honorem exhibent: aberrantes recta monentibus parento; in officio di-ligentes, vita honesti.

Ebriosum præceptorem (aiunt Argentinenses) aut ludis deditum, e Scholis non eicere, corrupte di-scipline indicium est. Exemplo enim præceptorum & magistrorum perduntur, exemplo seruantur ado-lescentum ingenia.

Porro cum cœtus scholasticos DEVM imprimis colere deceat, ac omnis institutio, quantumuis ele-gans & liberalis, si a pietate diffideat, infelix sit, illaq; quam ceteroquin finem studiorum constituimus,
erudita

erudita atque disertā sapientia, parum vtilitatis habeat, si religionis sit expertus: omnes Pædagogij & Scholę inferioris præfecti ad venerationem & cultum DE I patris æterni (qui cum filio coæterno, & Spiritu sancto vnus, verus, solus, omnipotens, iustus, fortis, sanctus, clemens & misericors DE VS noster viuit & regnat) suos docendi labores referunt in cognitione veritatis cælestis: a qua qui aberrat, aberrat (vt est in epistola quadam Constantini Imp.) ab ipso Deo.

Vniuersi igitur & singuli cum discipuli, tū Scholę vtriusque præfecti, non minus quam venerabiles Ecclesię ciuitatis huius ministri, eam Christianę veritatis normam, quam ex augustissimis limpidissimisque fontibus Israel, id est, ex Mosis & Prophetarum, Euangelistarumque & Apostolorum scriptis petitam, & cum symbolis Apostolico, Nicæo & Athanasiano congruentem, Senatus populusq; Göttingensis, ministerio Ecclesiastico suffragante, lege perpetua iam olim promulgauit obseruandam, religiose amplectuntur. nimirum ordinationem illa continet Göttingensem a Martino Luthero olim approbatam, ac insigni præfatione ornatam; & minorem eiusdem Lutheri Catechismum, cum Articulis Schmalcaldicis, nec non ingenuam & germanam Principum Ciuitatumque Imperij Romani confessionem, (quam anno 1530 ediderunt Augustæ

Vindellicorum solennibus in Comitibus, præfente negotij eius cognoscendi gratia Carolo V, Rom. Imp.) & confessionis eiusdem Apologiam: perpetuum videlicet sacrarum litterarum & orthodoxe antiquitatis, id est Ecclesiæ Christianæ catholicæ, consensum: cui simpliciter assentiuntur omnes, eidemq; consentanea loquuntur ac docent.

Ut vero captum cuiuspiã aliqua Religionis Christianæ capita superent, inquirendi tamen in ea calliditati ac solertiæ ne indulgento: nouisque peregrinarum disputationum quæstionibus disceptandis ne exercentor; sed rudioris ætatis vulgique simplicioris rationem habentes, si qua cognitionem exquisitiorum desiderent, explicanda ijs committuntur, qui eo loci constituti, ut hoc ab ipsis requiratur, interpretationem rerum diuinarum profitentur, nuncupati ab hac professione Theologi.

Hæc lex tum Pædagogij tum ciuitatis huius rationibus accommodata, piæ tranquillitati consentanea est, pie semper inuiolateque seruanda. Etenim in illa olim Christianæ veritatis norma a Senatu populòq; Gottingensi sancita, principali iam etiam autoritate, publico nimirum clementis Principis nostri & Domini, Domini I V L I I, Ducis Brunsvigensis & Lunenburgensis, Patris patriæ confirmata est edicto, promulgato decima die mensis Maij, anno hoc 1585.

Cæterum cum hominum piorum in templis cõgrega-

grega-

gregationes celebrentur, vt DEVM æternum, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, suis quisq; precibus inuocet, laudet, veneretur, colat; cumque scholasticum præcipue ordinem cæteris deceat pietate prælucere: ita in Ecclesia geruntur omnia, vt rudiores puerorum plebisque animi, vt hospites sæpe & aduenæ, vt Religio, vt Dei sanctorumque Angelorum præsentium oculi postulant.

Nemo igitur Magistrorum inter vel cantiones vel conciones sacras alienum quid agito: nemo obambulato: suo quisque loco consistens, voce pariter ac mente laudes Deo canito: canentem, legentem, concionantem Dei ministrũ auscultato: puerorum qui non ad pulpita & libros ex quibus canitur, sed in diuersos chori templiue angulos vultum conuertunt, oscitationes coërceto: neque in vlla suorum discipulorum improbitate, petulantia, absentia, Præceptor conuieto; vitiorum quæ pro sua virili non emendat, ipse reus habendus.

Cum funera habentur, ad exequias cohonestandas vniuersi tum pueri tum Magistri Scholæ inferioris conueniunt: nemo sine Pædagogiarchæ aut Vicerectoris permissu abesto.

Easdem funerum exequias cum ijs qui ostiatim victum quæritant, Pædagogij Musicus prosequitor, moresque scholasticorum vniuersorum inter eundem ad verecundam honestatem dirigit, & ad Pæ-

dagogiarcham quæ oportet referto.

Si quis officij dataque fidei oblitus, interpellantem se & de negligentia vitiove aliquo monentem Pædagogiarcham Viceuirectorem cõtempserit, Scholam hanc suosque alij committendos discipulos missos facito.

Qui vero iniuriis etiam increpantes se illos lacefere aut diffamare, aut conuitiis cum ipsis litigare ausit, cum grauius in hunc Magistratus animaduertet, tum ius illi suum persequentur.

His quibus institutis obtemperare non est integrum, tempori missionem petunto.

DISCIPVLORVM OFFICIA.

Qui dignis suorum commendationibus ingenioque & moribus ornati, studiorum huc caussa uenerint, examinatique uerecundiæ & diligentia indicia præbuerint, Pædagogiarchæ nomen fidemque dantes promittunto;

Gratos se fore in illustris Principem & Dominũ, Dominum IULIUM Ducem Brunswigensem & Lunaburgensem, Dominum clementissimum; & in Senatum ciuitatemq; Gottingensem, fundatores Pædagogij huius & conseruatores:

Legibus & statutis se scholasticis obtemperaturos, & Pædagogiarchæ, Vicerectori, cæterisque Præceptoribus obsecundaturos: Cum

Cum ciuibus hic se tranquille & amice, cum ceteris omnibus honeste victuros; neq; sine propinquo- rum suorum atque Præceptorum hinc consilio demigraturos.

Externi in album siue matriculam se ascribenti Pædagogiarchæ numeranto grossos X I I; ciues, V I; pauperibus hi remittuntor.

Ab externis Scholæ inferioris discipulis in suum seorsum catalogum a Pædagogiarcha Viceuerecto- re ascriptis, numerati grossi V I, a ciuibus I I I, in arcu- lam obseratam conijciuntor: eiusque medietas, cum ordines transferentur, in eiusdem Scholæ magistros diligentiores, vt videbitur Pædagogiarchæ, distri- buitor; cætera pars cōstituto a Scholarchis & Pæda- gogiarcha curator, persoluitor.

Præfectus in qualibet classe vnus esto, primarius cæterorū inspector. Hic catalogum sibi commissum statis horis auditis recitato: atque absentes seroque venientes aut sine venia abeuntes, notato; tumul- tuantes interpellato, turbas excitantes coërceto: de- que petulantium improbitate ad Præceptores vel sponte vel postulatus referto.

In templo idem ac vicis vrbis angiportisq; siquid a discipulis contra decorum fieri, si quos eundo re- deundoue vociferari, tumultuari, vagari comperiat, Pædagogiarcham, Vicerectorem & Præceptores cer- tiores facito.

Primus idem compareto suo tempestiue in auditorio: quod forte si per impedimenta non possit, alium suo loco de Præceptorum voluntate substituito.

Idem prælecta primus tum exponito tum recitato; atque deinceps, cum volet Præceptor, cæteris ipsum audiendis adiuuato.

Cæterorum discipulorum stasis horis nullus abesto. A Pædagogiarcha aut Vicerectore cæterisq; Præceptoribus veniam petens, id vel coram facito, vel misso chirographo rationem absentia reddito.

In interuallis prælectionum collationes earundem & inuestigationes vt non prohibentur, ita futiles verborum commutationes ne admittuntor.

Sermo vbique omnium & verecundus & Latinus esto: in auditorio nullius absq; charta sit manus & calamo.

Alius alium studijs incumbentem nec voce nec ambulatione nec strepitu impedito: rixę, conuitia, probraque omnia, a congressionibus omnibus absunto.

Conspectis inter eundum venerandis Ecclesiæ ministris, consulibus, senatoribus, tribunis, alijsue dignitate ac virtute præditis viris, honestisue matronis, via, capitibus apertis, genibusque inflexis, cedunto, & suum cuique semper honorem habento.

Honeste vnusquisq; vestitor: inque hoc ciuium
consue-

consuetudinem & Pædagogij institutum colito: pugionibus cæterisque armis, quorum nullus hic vsus esse potest, ne præcinguntor.

Hospitium hero suo siue hospiti nemo renun-
ciato, nemo inde emigrato, absque Pædagogiarchæ
aut Vicerectoris permissu.

Malorum & eorum qui ob improbitatem ex or-
dine scholastico sunt exclusi, familiaritatem, consue-
tudinem, congressiones, omnes fugiunto.

Aduersus Præceptores falsam querelam ad paren-
tes aut propinquos nemo deferto; neque in scholis
que fiunt, foras efferto.

Qui ostiatim victum quæritando, aut in conui-
uiis, permissu Pædagogiarchæ, autoritate præstanti-
bus viris obsequendo, Musicam exercent, tantum sa-
cras, pias, castas melodias decantanto, ab obscenis o-
mnibus temporibus, omnibus locis, abstinento.

Pædagogi pueris fidei suæ commissis tum religio-
sæ pietatis, tum morum & probitatis exemplis domi
forisque prælucento: eosdem in Scholam euntes atq;
inde redeuntes comitantor, ac, de quibus oportet,
admonento: in instituendo ab ordinariis prælectio-
nibus & Pædagogii consuetudinibus ne recedunto.

Ioann. Sturmii lib. 1. Epistolarum classicarum, Epist.

3, ad Matthiam Hybnerum, & Curia M.

Primum omnium tibi maximopere etiam atque

Diaria siue
Ephemerides.

etiam prouidendū est, vt eorum quę pueri (in classibus inferioribus) didicerunt, non discedat memoria. quę cuiusmodi sint, in libris exemplorū & in Diariis videre est. Hos libros deponere de manibus non patieris, seuerē in illum animaduertens, quicumque in his conseruandis sit negligens. hi sunt testes diligentię: hi custodes memorię: hi quid adepti sint pueri sua industria, & magistri diligentia, indicant: hi pręmōstrant quid deinceps porro addi debeat. Quod hic tibi pręcipio, idem reliquos magistros superiores facere iubeo: vt hos libros & has Ephemerides tamquam perpetuum Vestalem ignem extingui non sinant.

*Idem in lib. eodem, epistola 4, ad Theobaldum
Lingelshemium.*

Argumenta.

Propones puero *argumentum* quod *ὑπόθεσις* dicitur, rei quę fieri solet fictum negocium. Eares nota sit & aperta, gestione, personis, locis, temporibus. Sed non longa sit hęc hypothesis.

Ibidem, Hęc argumenta non solum sumes ex his quę heri aut nudiustertius cognouerunt (discipuli,) sed reuocanda etiam quę in curiis audiuerūt inferioribus. inde repetenda nomina, verba, formulę. nihil sat sepe repetitur, quod non satis bene cognitum est, & notatum confirmatumque memoria.

DE

DE POENIS ET MVLTIS
LEGVM VIOLATARVM.

CVM, qui prohibere quid potuit, teneatur, si nō fecerit^a, & qui in vitiis aliorum, quę emendare potest, conuiuet, ipse committere existimandus sit^b: cumq; nulla sit illecebra maior quam peccandi impunitas^c, & nec domus nec Respubl. stare possit, si in ea nec recte factis præmia extent, nec supplicia peccatis^d: improbi, quos leges pudorque retinere in officio non possunt, pœnis coercendi sunt; vt malorum coercitio, exemplum sit ac metus bonorum^e.

Etsi enim Quintilianus cędi pueros verbisque seuerioribus castigari non vult, quod vel verberum ista vel verborum asperitate videantur ingenia vel peruersa ad obiurgationes & virgas assiduas durari, destinatis scilicet animis ad plagas perpetiendas; vel liberalia frangi ac debilitari, cum alacritate & voluntate prompta, artium opt. studium contineatur vniuersum: Nos tamen, his præcipue temporibus, vbi barbaries adolescentum & nequitia maior indies erumpit, Salomonem audimus, qui stultitiam radices agentem in puerorum cordibus, non nisi virgis ait disciplinę posse reuelli^f. Itaq; dum spes est, inquit, castiga filium tuum, virgis percussum non moriturum, sed ex inferis potius emerfurum^g. Quo facit tragicus ille

^a Cicero lib. 1 Off. in princ. § in iustitię duo genera. Et Paulus Ic. l. scientiam 45 ff. ad legem Aquil. Et l. 9. ff. ad legem Corneliam de falsis.

^b C. qui potest. 23. q. 3. Et c. præterea q. 8. eadem.

Et c. Error distinct. 83. Et L. non solum. 2 C. de commerc. & mercator.

^c Cicero 3 Officior.

^d Idem 3 de nat. Deor.

^e L. prima C ad l. lul. rep.

l. Capitaliū, 28. §. Famosos. ff. de peenis, l. aut facta. 16 §. Fin. ff. eodem.

^f Prouerb. c. 22.

^g Prouerb. c. 22.

19, & 23.

b 1 Reg. 1.

& miserabilis exitus Heli^h; qui cum in filios suos non satis grauius animaduerneret, tristissimas horum morte cruenta multatorum exequias tristissimo ipse obitu profecutus est. Quin & gentiles olim institutores verberibus suos discipulos contumacia & procacitate submouendos putarunt: cum Cyrus casum a magistro se narretⁱ: & Ouidius de Achille scribat,

i Xenophon
lib. 1 Pædias.

*Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus casus præbuit ille manus^k:*

l lib. 1 de
arte.

& Lycurgus Pædonomis eam fecisse potestatem scribatur, ut quicquid videretur ipsis optimum, pueris præciperent, & cæderent flagris delinquentes. Apud Romanos vero ut potestas in liberos suos parentibus erat maxima^l: ita & præceptoribus in discipulos: ubi delinquentes prætextati, anguillarum tergo; pueri, ferula plecterentur^m.

l. §. Ius autē
potestatis,
Instit. de
patria po-
test.

m Conrad.
Heresbach.
de educandis
Principum
liber. lib. 2,

c. 24.
n L. Sed & si.
§. in fine. ff.
ad legem A-
quil.

o L. Præce-
ptoris. §. ff.
eodem.

p Cicer. lib.
1 Officior.

Verumtamen non flagris pueros tamquam asinos obtundendos, capillisue arripiendos, aut pedibus calcandos, fustibusque pulsandos existimamus: sed leui dumtaxat castigatione docentibus concessaⁿ, Præceptorum nimiam sæuitiam culpæ assignamus^o.

Ut vero optima illa rerum omnium mediocritas^p hac quoque in parte obseruetur, & quam intelligi velimus castigationem leuem, appareat, non nouas hîc ipsi cōminiscentes pœnas delictorū, Argentoraten-
tensium

rensiū (quorum tum ciuitas honestæ politiæ, tum Schola Pædagogii viuum est exemplar) sequi instituta visum est.

Etenim si illos olim rerum dominos Romanos ad Græcorum (Solonis præcipue) Leges describendas Oratores Athenas mittere, multaque ex horum institutis in suas tabulas referre non puduit; nec nos illorum, quos dixi, leges scholasticas, edendo iamdudum cum omnibus communicatas ac iuris publici factas, imitari pigebit, quibus vix aliæ statuentur meliores.

Senatus igitur populusque Gottingensis sic sentit, sic iubet, vt, quod seueritate corrigi possit, indulgentia ne negligatur. Quare si quis ad horas constitutas nō adest vel in scholis Pædagogij, vel in concionibus Ecclesiæ; virgarum verberatione corrigendus est; nisi excusationem a parentibus, aut heris domesticis probabilem adferat. Istud enim voluntatis peccatum est, non ingenii imbecillitas.

Qui post horam constitutam veniet, castigari debet modo & ratione bona, iudicio Pædagogiarchæ & Præceptoris: magis, si bis in hebdomada id fiat; maxime, si ter idem admittatur.

Qui negligenter auscultat, qui lectas & traditas res non repetit, qui interrogatus respondere non potest, qui cætera officia bonorum discipulorum negligit: is pro errato, pro peccato, pro ingenio, pro

ætate, debet castigari. sed grauiſſima medicina in his morbis erit virgarum ſeueritas : minima, verborum prudens remedium.

4 Qui inter auſcultandum alia cogitat, qui nugatur, qui ſcriptitat res alienas, aut alia legit quam quæ doceantur, in his peccatis minima caſtigatio eſt cõminatio & obiurgatio. Seueritate enim diſciplinæ iſtud naturæ vitium ſanari poteſt.

5 Qui malis delectantur familiaritatibus, qui verbis litigant, qui pugnis præliantur, aut quoquo modo dimicant; qui iurant, qui Præceptores contemnunt, qui irreuerenter prætereunt aut aſpiciunt aut alloquuntur eos qui reuerentia digni ſunt, vt ſenes, vt magiſtratus, vt homines præditi autoritate aut virtute: qui in plateis & cœtibus hominum non verſantur verecunde, & vt decet litterarum ſtudioſos : ratione bona aut grauius aut ſeuere debent emendari.

6 Qui ſermone vtuntur alio quam Latino, qui impudenti, qui impudico: pro peccati genere, ratione bona puniantur.

7 Qui aduerſus magiſtros & præfectos ſuos falſam querelam ad parentes deferet, aut tutores, aut cognatos, aut amicos, aut quos ſuis neceſſarios & viros bonos: & quia falſum dicit, & quia aduerſus Præceptorem & præfectos ſuos ingratus eſt, & quia mœrorem mendacijs ſuis excitat, pro facinoris grauitate
aut

aut virgis castigetur, aut custodia coërceatur, aut alio modo bono feueritatis fiat melior.

Præfectus si officium non faciat in animaduertendo & accusando, tum virgis tum custodia corrigendus est. non enim hic vitiosus esse potest, vt non commilitones vel offendat exemplo, vel in societatem vitiorum pertrahat, & disciplinam corrumpat Pædagogij. 8

Arma, gladios, pugiones nemo gestato: qui gesserit, tum eorundem amissione multator, tum, vt Pædagogiarchæ visum fuerit, custodia coërcetor. 9

Nemo ad cauponas tabernasque publicas, absq; Pædagogiarchæ seu Vicerectoris ac Præceptoris permisso, accedito: qui secus faxit, seuerè castigator. 10

IN LEGES NOVI AD
LAINVM PÆDAGOGII.

Εἰς κακίῳ παρπετῆς ὀνέων μάλα θυμὸς ἐτύρθη,

ἐκ ἀλέγων σεμνῶ ἤθεα ἐσθλὰ βίη.

ἔσθ' αἰεὶ δ' ὕσεβίη, σωῦσεις τ' ἐρίδηλος, ἕω' αὐτῶ

συζύγω εἰρήνη οἰκί' ἔχουσι νόσ.

πολλάκις φαύλοισι σωῶν ἐχέθυμος ἐπαίρεις,

ἐσθλὸν ὄλεσ' ἀφρων ὃν ἄρῖν ἔχεσκε νόον.

ὄν ποτ' ἐφ' ἠδυμελεῖς τέχνας ὄγε Φοῖβος ἐπέειπε,

τόνδ' ἐς λαγνείῳ Κυπαρῆσος ἀπάγει.

G

καὶ γὰρ τοῖα πατὴρ κακίων παρὰ πάρος ἄμμι

παύματα ἀνομόρως ἐμπεφύτευκε γόνω.

Ἄλλ' ἵνα μὴ ξυνόλας βειαρῶς κατέχουσιν ἄρ' ἔρως,

χερσὶ νόμον ἀφελεῖν, εἴα εἰν' ὄντα, χρεῶν.

Τούνεκα Μισσάων Πέδ' αἶε κεκασμένε δώροισι,

ἔλλαβες ὡς νεαρῆς ἠνία κλητὰ γολῆς·

ἔμόνον ἠϊθέων θυμὸς τέχνησι καλῆσιν,

ἢ τε ὄπιζήμας σοὶ γε μέμηλε βέφην·

Ἄλλὰ καὶ δ' ἄσεβέως ἵνα δ' ἄρεπέως τε ἀγῶσιν,

νὶρὰ βιωφελέων παρ' ἔθεσσι θεσμὰ νόμον.

Τένεκα Θόπολις μεγάλην ἡμῖν σ' ἀποδίσῃ,

ἔνομα κλείουσιν πιερίδες τε τεόν.

Id est;

Nititur in vetitum iuuenilis sepius ætas,

Et spernit mores irrequieta bonos.

Nec semper probitas animo & doctrina sub uno

Dulcia concordi fœdere regna tenent.

Sit bonus, & videat iuuenis meliora probetque;

Sæpe malo sequitur deteriora duce.

Pallidas alium gratus trahat ardor ad artes;

Mox trahit ad luxum desidiosa Venus.

Scilicet hæc nobis viciorum semina primus

Inseuit tristi transitione parens.

Ne vero totis late dominantur in aruis,

Dum vernant, legum sunt cohibenda manu.

Hinc tibi commissos curas dum fidus alumnos

Rector Castalij docte PETRÆE chori:

Non

DELIN. ET LEGES.

51

Non solum ingenuas iuuenes duxisse per artes
 Te iuuat, & Clarijs ora rigasse vadis;
 Sed decus vberius, placidos adiungere mores,
 Legibus & motus impedijse feros.
 Hinc GOTTINGA tibi meritos persoluet honores,
 Pieridesque tuum nomen ad astra uehent.

Georgius Cocus Heringensis.

IN EASDEM

מחיא כמו מכור זכות:	הקלכל-תכל היה
כאיט בלי עין ראה	מאז אלהים זה ברא:
כאיט בלי הקות היה:	הקים לאדם את-מצוה
הקות קהו ואתלמירום	הלכ בתמתו טובה:
בעיר אשר שם באלהים:	אתר הטאי האדם
תפול תהנה לפני אל	תורה יהוה שם עולם:
להיות כצרפתה או בית-אל:	ארב למען הקות

Id est:

Εξ ἧ τειασφαῆς θεότης τὸν κόσμον ἔτευξε,
 κέκλετό μιν βαίνην ἰθυπόροισι νόμοις
 πηλογόνω τε Αδάμ θεοτερπέα θῆκεν ἐφέλην,
 ὅτθ' ὅσιος θείω αὐτὸς ὁδὸν ὁδόν.
 αὐ μὲν ὑπερβασίω δεκαμήτοις ὠπάσε θεομῆς,
 πρὸς βροτέοιο βίε κρινὸν ἔλεγχον ἔμην.
 τὰ καὶ ἐφέλημα ἄν χρέος ὅτι, ῥευσῶν
 ὡς τὰ ἀπὸ κρήνης ὑδροχύτοιο καλῆς.

G 3



ὡς γὰρ αἶψα γλυκεροῖν ὄσσοιν μὴ δέρκεται αἰὴρ,
 ὡς καὶ ἄτερ θεσμῶν μὴ ποτε ζῷς αἰὴρ.
 Τούτοις ὄραλέως μυσέων λάττει δέχουσο θεσμούς
 ἐν πολέθρῳ μεγάλα τῆνομι ἔχοντι θεῶν
 ἰκεσίαις τε θεὸν θαμιναῖς λιτόνδ', ἵνα κέρη
 Βαυθὴλ τῆς Χριστῶ ἠδὲ Σάρεφθα πέλη.

Id est;

Ex quo sancta Trias spaciosum condidit orbem,
 Hunc certis iussit legibus ire Deus.
 Idem prima uo legem figebat Adamo,
 Rectus adhuc rectum cum sequeretur iter.
 Quin præcepta reis post lapsum tradidit; ut quæ
 Corruptis uita regula certa forent.
 Ergo, autore Deo, statuit mens prouida leges,
 Et ius ex illo surgere fonte uidet.
 Utque riget sine sole dies, sine lumine frons, sic
 Vita salutiferis legibus orba riget.
 Has igitur leges studiosa capesse iuuentus,
 Vrbs ubi de diuum numine nomen habet:
 Sollicitaque Deum uotis, sit idonea Musis
 Illa tuis Bethel, illa Sarepta tuis.

Basilii Michaëlius Francus.

Fran-

Franciscus Modius Brugenſis, Henrico
Petreo ſuo S. P. D.

*Absens abſenti calamo, non ore, ſalutem
Dico; bona ut peragat dextera vocis opus.
Poſt quam, ſi quid agam quaeris; meditamur in vno
Tempore quodque Themis, quodq; Minerua probet.
Quis mea dum vigilat quanta eſt induſtria; dumque
Alterno diuas demoror obſequio;
Te potiora, lubens, tentare, hiſce aurib. hauſi;
Sint caeptisq; precor numina dextra tuis.
Nam ſi vni officium praestare eſt maxima virtus;
Quid ſibi quem multos demeruiſſe iuuat?
Proximus ille Deo eſt, adeo, ut non dignior illo
Sit magni virtus Amphitryoniadae.
Quare iterum precor o caeptis caeleſtia adeſte
Numina, PETREI & vota iuuate mei.
Vota viro digna, ut qui haud aurum, purpuram, honores,
Inuidioſa alij haud qui ſibi ſceptra petat:
Sed ſancte hoc vnum cupiat prodeſſe (iuuentae
Sub leges annos dum iubet ire ſuas)
Omnibus: inſignis quae eſt demum in publica virtus
Commoda; quae mox hinc vnde regantur habent.
Tam ſancto huic, inquam, ſtudio adſpirare ſecundus
Dignare, o verus maxime Chriſte deus.
Tuq. faue linguis GOTTINGA animisque; tuorum
Vera agitur demum hic gloria, verus honos.*

Nam quod ceu parua hæc quidam adspernantur, homulli
 Non assis, nihil hinc cur mouearis habes.
 Non etenim mirum est si, quæ didicere, loquuntur:
 Patronus vitij est quilibet usque sui:
 Socraticosque odit fontes adsuetus Iaccho,
 Omne ipso damnat cumque Platone sophos.
 Nec tamen hac propter non calo proximus ille est;
 Non, illi similis quisque futurus, erit.
 Quare age, quod faustum & felix sit utrisque, iuuentus
 Gottingana, auidis auribus illa bibe;
 Quæ de doctiloqua deproment mente magistri,
 Quis deinceps cura cura futura tua est:
 In primisque tui Rectoris iussa capesse,
 Assidue tanti pendula ab ore viri:
 Et fortunabit Deus omnia rite secundus
 Cetera; & in vobis plurimus ipse erit.
 Sed monitum satis est; ad te, Petree, reuertor;
 His tantis maectum quem iubeo esse bonis.
 Non erit ut summam non hac industria laudem, hic
 Non ut non pariat gaudia mille labor.
 Quorum participem quia me olim spero futurum,
 Interea, ut possint consieri, usque Vale.

Francofurti ad Moenum III Kal. Iulias anno
 a parta Salute CIO IO LXXXVI.

Ad

Ad studiosam iuventutem de Schola Gottin-
genfi Friderici Sylburgij Parænesis.

Ὅπου τῷ ἀπαλῶν ἔφροντις γηπόνω ἔρνέων,
οὐ πρύτως δωματὸν δένδρεα φυῶ ἀγαθὰ.
οὕτω καὶ πόλεσιν, τῆς ὀρθῆς παιδὸς ἀμοιβῆ
παιδείης, ἀνδρες πῶς κε γήοιντο καλοί;
ταύτῃ πλὴν σκέψιν πυκινῶς ἐνὶ φρεσὶ βαλόντες
Γοτθίης ζαθέης σώφρονες ἐνναέται,
παισὶν ἐλδοθερίων ἀσκήματα ποικίλα τεχνῶν
παρ σφίσι ξυὺ πολλῇ παρῆθεσαν δισεβίῃ·
καὶ σφίσι παιδείῃ κληνὸς ἀρετῶσι τ' ἀγαθοῖς
ἀνδρας ἐπέζησαν, παιδοτείας ἔμεναι.
ὅτι ὅτι τυφλὸν ὄχλος πινυτῆ δίχα ἰθιωτῆρος,
πᾶσι κυβερνήτῃ ἀνέρα δῶκαμ ἕνα·
Ἐνδρίχον φημὶ Γεβήιον, ἀνέρα πάσης
ἔξοχον ἰδμοσιύης ἠδὲ ἀρετῆς ιδέαις.
πρὸς δὲ, ἵνα ἐν κόσμῳ καὶ τάξῃ πρύτα γήηται,
πᾶσιν ἐπέγραψαν θεσμὰ πρέποντα νόμον.
Τ' ἐνεκεν ὧ νεότης, Γοτθίῃ, εἴτ' ἀπὸ Γότθων,
εἴτ' ἀπὸ τῶ θεῶν τ' ὄνομα τῶτο λάχε,
ζηλώσασ' ἀρετῆς, τέχνης ἀρετῆς τε παρ' αὐτῇ
μαίθανε, θευπόλεως ὄφρα γῆ μετοχος.

Francofurdi IIII Kal. Iul. MDLXXVI.

H



INDEX

PRAELECTIONVM
ET EXERCITATIONVM PÆ-
DAGOGII AD LAINVM GOTTIN-
gensis,absoluendarum ad æquinoctium
autumnale anni huius 1586.

IN PRIMA CLASSE.

HORA VI.

Henricus Petreus Pædagogiarcha *M.T. Ciceronis Topica* ad Trebatium Iuricons. dieb. Lunæ & Martis: *Rhetorica Philippi Melanchthonis*, Mercurii & Veneris. Reuerendus, & doctrina vsuq; docendi præstans Dn. M. Cyriacus Pflaumkern, Ecclesiastes ad D. Iohannis, *Examen Theologicum Philippi Melanchthonis* diebus Saturni.

HORA VII.

M. Cyriacus Coccius *Aristophanis Nubes*, diebus Lunæ & Martis: *Ciceronis orationem pro Milone*, Mercurii & Veneris: *Catechismum D. Chytræi* dieb. Saturni.

HORA VIII.

Henricus Petreus *lib. I Institutionũ Iustiniani Imp.* diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Veneris: *Basilius Michael-*

Michaelius *Ebraicæ linguæ rudimenta* diebus Sa-
turni.

A M E R I D I E.

H O R A X I I.

Georgius Cocus *Arithmeticam* diebus Lunæ &
Martis: M. Isaacus Wucherpf. *Musicam* diebus
Mercurii & Veneris.

H O R A I.

Conradus Heineman, V. I. D. *Institutionum Iustin.*
Imp. lib. 2, dieb. Lunæ, Martis, Mercurii, Veneris.

H O R A I I.

M. Cyriacus Coccius *Dialectices Phil. Melan-*
chthonis lib. 4, dieb. Lunæ & Martis: P. M. *Virgili*
Æneidos lib. VIII, dieb. Mercurii & Veneris.

H O R A I I I.

Henricus Petreus *Digestorum tit. penult. de Verbo-*
rum significatione diebus Lunæ, &c.

I N S E C V N D A C L A S S E.

H O R A V I.

Basilus Michaelius *Grammaticam maiorem Lati-*
nam Philippi Melanchthonis diebus Lunæ, Martis,
Mercurii. *Locorum communiū Marmelii partē primam,*
vnde analysis poetica vsusque præceptorum Proso-
dias exigitur, dieb. Veneris. Georgius Cocus *Eu-*

angelia Dominicalia Græca ex Posselio, diebus Sa-
turni.

HORA VII.

Idem Cocus Grammaticam Græcam Argentinensem maiorem Golii, diebus Lunę & Martis. Plutarchum ἑκ τῶν παίδων ἀγωγῆς, dieb. Mercurij & Veneris. Catechismus D. Chytræi cum prima huic est communis, diebus Saturni.

HORA VIII.

Georgius Cocus Epistolarum Ciceronis ad familiares librum VII, (vnde styli exercendi argumenta, &c.) dieb. Lunę & Martis. Dialectices Lofii lib. I, diebus Mercurii. Rhetorices Lofii lib. I, diebus Veneris. Præcepta morum Camerarii, dieb. Saturni.

A M E D I E.

HORA XII.

Eadem cum Classe prima.

HORA I.

Basilus Michaelius Andriam Terentii diebus Lunæ & Martis. P. Ouidii de Ponto lib. I diebus Mercurii & Veneris.

HORA II.

Lælium Ciceronis cum Grammaticis assidue repetitionibus, diebus Lunę, Martis, Mercurii. Regulas vitæ a Posselio carmine Græco redditas (vbi & Græcę Profodię initia monstrabuntur) dieb. Veneris.

IN

IN TERTIA CLASSE.

HORA VI.

Eadem huic cum classe secunda, dieb. Lunę, Martis, Mercurij, Veneris. M. Isaacus Wucherpf. *Euangelium Dominicale Græcum* diebus Saturni.

HORA VII.

Idem M. Isaacus *Epistolarum Ciceronis a Sturmio selectarum librum primum*: (vnde analysin Etymologiæ, & dictationem die Iouis exhibendorum *Argumentorum*) diebus Lunę, Martis, Mercurii, Veneris. Idem *Catechismum Latinogermanicum* diebus Saturni.

HORA VIII.

Idem *Bucolica Virgilij*, diebus Lunę & Martis. Idem *Fabulas Æsopicas Latinas Camerarij* dieb. Mercurii & Veneris. *Præcepta morum Camerarij* cum *Secundariis*, diebus Saturni.

A MERIDIE.

HORA XII.

Eadem cum *Primariis* & *Secundariis*.

HORA I.

M. Isaacus *Grammaticam Græcam Argentinensem minorem* diebus Lunę & Martis. *Græcas Æsopi Fabulas* eodem libello *Grammatices Argentinensis* contentas, diebus Mercurii & Veneris.

HORA II.

Eadem cum Secundariis.

DIEBUS IOVIS.

HORA VII.

Concione sacra finita reuersis e templo vel *Psal-
mum* aliquem ex *Buchanano*, vel tempori conueni-
entem *Hymnum Ecclesiasticum* ex recognitione *El-
lingerii*, secundæ & tertiæ classium discipulis præle-
get (quoad per emendationem Argumentorum po-
terit) *Basilii Michaëlii*.

Primarijs vero, Pædagogij Theologus, *M. Cyria-
cus Pflaumkern*, primitiuæ Christianorum Ecclesiæ
historiã a *D. Luca* expositam, quæ *Acta Apostolorum*
appellant, proponet; atque, pro sua docendi dexteri-
tate, vt simpliciter breuiterque, ita fideliter & perspi-
cue declarabit.

HORA VIII.

Argumenta, hoc est, rerum quæ fieri solent ficta
negotia, tum ex Germanico in Latinum, tum ex La-
tino in Græcum sermonem conuersa; *versusque* præ-
terea & *Orationes*, exhibebunt, in sua quisque classe,
vniuersi & singuli, corrigendis ijs occupatis Magi-
stris vniuersis & singulis.

A MERIDIE.

HORA I.

Physicæ doctrinæ Epitomen dictabit & explicabit
eruditissimus vir *Georgius Cocus*; cui suo etiam lo-

co Partium Corporis humani expositionem inseret.

HORA II.

Disputationibus Scholasticorum, & *Declamationibus*, ad prælectiones ordinarias accommodatis, *Comædiarum* item actionibus, intererunt Magistri vniuersi. Cæterum Comædiæ agentur potius & memoriter recitabuntur a Primarijs, quam iisdem peculiariter explicabuntur: quodque Argentinensibus, & Lauingensibus, aliisque Scholis insignioribus, hac in parte placet, nobis idem non displicet.

Inferioris Scholæ classes eosdem perpetuo libellos retinent.

Singulis diebus Scholæ vtriusque Classes vniuersas & singulas obeundo Pædagogiarcha & Vicerektor consignationem eorum qui in statuta legesque Scholasticas deliquerunt, a Præfectis exigent, & deinceps pro modo delictorum pœnas siue multas improbis irrogabunt.

Pomponius I.C.L. apud Iulianum 20 ff

De fidei commiss. libert.

Ego discendi cupiditate, quam solam viuendi rationem optimam in octauum & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum eius sententiæ, qui dixisse fertur, καὶ τὸν ἔτερον πόδα ἐν τῇ σοφῷ ἔχω, πρὸς μαθεῖν ἡ βελούμην.

Solon,

μεγίστω δὲ αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

63

DE DISCIPLINA SCHOLASTICA.

I.

Nach dem das jenige / so durch ernstlich einsehen verbessert werden mag/billich durch hin vnd nachlesigkeit nit versaumbt werden soll/ So setzen vnd wollen wir anfänglich: Wo ein Knab zu den gesetzten oder bestimbten stunden nicht in der Schul/oder in seiner verordneten Clafz / So dan auch in den predigen erscheinen würde: Das derselbige mit der Ruten gezüchtiget vnd gestraft werden solle / Er habe dan ein Redliche vnd erhebliche entschuldigung// vnd bringe derselbigen einen glaubwürdigen schein von seinen Elteren / herberg oder Costherren. Vnd dieweil solches nicht aus schwachheit des verstands/sonder aus freiwilliger Bosheit beschicht / solle es billicher weis nit vngestraft bleiben.

II.

Zum anderen/welcher nach den gesetzten stunden allererst erscheinen würde/der soll zum erstenmal nach erkandnuß des pedagogiarchen oder seines Preceptoris/daruber ernstlich (iedoch mit guter bescheidenheit) Zum andernmal etwas ernstlichers/ vnd wo es zum dritten beschicht / noch heftiger gestraft vnd gezüchtiget werden.

III.

Zum dritten/wo einer ganz fahrlesig aufmercken / seine Lectiones nit repetiren, aufbefragen nit antwort geben kontel vnd sich auch in anderen stücken nicht wie einem fleißigen Lehringen gebüret / halten wurde/ der solle ie nach gelegenheit seiner verhandlung / desgleichen auch seines ingenii, vnd alters gestraft werden. Idoch die gröste straf mit der Ruten/ die we

nigste aber mit wortē vernunfftiglich beschehen vnd furgenomen werden.

III.

Zum vierten/welcher in aufmerckung vnfleischig ist / seine gedancken anderstwo hat / der geschweze treibet / ander ding schreibet oder liset dann im fürgelesen vnd befohlen wirdt / der soll zū wenigsten mit wortē angefahren vnd betrauwet werden / weil solcher gebrechen der Natur durch den ernst vnd gebürende züchtigung füglich verbessert werden kann.

V.

Zum funften / Welche sich böser vnd vppiger gesellschaften annemen / mit wortē / feustē / oder in andere weg / wie die erdacht werden möchten / mit einander zanken / balgen / schlahen / schweren / die Præceptores verachten / für Leut / denen ehre gebüret / (als da sint alte Leut / Regiments Personen / vnd Raths verwanten / oder sonst eines statlichen Ansehens / oder Ehrlichen herkommens vnd Stands) one Ehrerbietung furber gehn / sie verächtlich oder truziglich ansehen oder ansprechen: Item die auf den gassen / oder bey anderen versamlungen nicht zuchtig / schähastig / vnd wie Studirenden Jungē wol ansteht vnd gebüret / wandlen vnd sich halten / die alle soltend mit ernst vnd schwerlich (Jedoch mit gebürender bescheidenheit) gestraft werden.

VI.

Zum sexten / die Yenigen / so anders dann Latine, oder etwas vngeburlichs / vnzuchtiges / oder schandlichs reden / sollen ie nach gelegenheit der vbertretung (Jedoch mit guter bescheidenheit) gezüchtiget / vnd gestraft werden.

VII.

Zum Siebenten Welche ire Præceptores, oder andere / die ihnen furgesetz sind / bey iren Elteren / Vormünderen / Verwandten / Freunden / oder anderen ehrlichen Leuten fälschlich verliesgen vnd anbringen / die sollen von wegen der Lügen / vnd des Lasters der vndanckbarkeit / gegen ire Schulmeistern vnd furgesetzten

kten

kten/dadurch sie vnruhe/vneinigheit / vnd bekummernis anrichten/nach gestalt / gelegenheit / vnd grösse irer Mißhandlung mit ruthē gestrichen/oder ins gefencnis gelegt/ oder aber sonst mit anderen gebürenden vnd notwendigen mitteln zur besserung gebracht werden.

VIII.

Zum achten/ Im fall ein prefectus seinem befelch in aufmerckung vnd angebung der straffwürdigen nit nachkommen würde / so soll derselb derenhalb mit ruthen gezeichnet vnd gestrafft werden / in notwendiger betrachtung / wo an demselbigen fehl vnd mangel erscheinet / das ohne mittel folgt / das die vberigen seine mitdiscipuli entweder durch solch sein / des praefecti, böses exempel geergert werden/oder sich in gleiche vnart vnd böse stuck begeben / vnd dardurch diser Schulen disciplin vnd zucht (daran vns zum höchstē gelegen) desto mehr verderbt vnd zu vntergang gerichtet wirdt.

IX.

Zum Neunten soll auch den Scholaren alle were / degen vnd dolche zutragen / (Allerhand daraus besorgenden vn-rath zu furkommen/) allerdings inhibirt vnd verbotten sein. Vnd do hieruber einiger Scholar einige wehr in Schulen oder Kirchen tragen / vnd er daruber betreten würde/soll dieselbige alsbalde den verordneten herren Scholarchis verfallen sein/ vnd darneben nach gestalt der sachen/vf ermessigung des Pedagogiarchen / berürter vberträter mit dem Käcker gestrafft werden.

X.

Zum zehnten/wollen wir auch allen Scholaren alle wirtshäuser / herbergen/vnd offene trinckstuben in vnd aufferhalb dieser Statt Göttingen verboten haben / welche sie gentslich vermeiden sollen: Es würde inen dā von dē pedagogiarchen vnder vicerecore vnd iren praceptoribus erleubt vnd zugelassen.

XI.

Zum eilften/statuiren / seze vnd ordne wir / wo einiger Scho-

lar, wider diese oder die hievor beschribene vnser Statuta Le-
ges, Satzungen vnd Ordnungen handeln / thun vnd lassen /
Oder aber auch dem pädagogiarchen vnd præceptoren sich
widersetzen würde / das demselbigen nach gebürlicher straf der
ruten oder Kärcker / fur den darzu erfordereten Schulherren /
durch den Pädagogiarchen vnd Vicerectorem seine vngebürs-
liche handlung mit allem ernst vnder sagt / vnd er zur besse-
rung vermanet: Do aber dieselbige nicht erfolgen / noch die ge-
treuen Verwarnungen / zuchtigung vnd straf bey im verfang-
lich vnd furträglich sein würden / er von der Schulen genß-
lich außgeschlossen / deren verwisen / vnd weder von den præce-
ptoribus / noch sonst allen andern vnsern Bürgern vnd In-
wohnern / als zur zucht vntauglich in herberg vnd kost fur ei-
nē Scholaren nicht mehr angenöme werde: Wie dann vñ berurz-
ten fall als bald dem Burger oder Inwohner / bei dem derselbi-
ge relegirte Scholar zur herberg vnd Kost sein würde / densel-
ben von sich zuthun / durch vnser verordnete Schulherren
angemeldet vnd befolhen: Vnd so daruber der Burger o-
der inwoner den verwisenen Scholaren lenger bei sich behal-
ten / vnd also dem befehl nicht nachkommen würde / der selb
vmb 2 Göttingische Marek onnachleßiglich gestraft wer-
den soll.

XII.

Zum zwelften sehen / ordnen / vnd wollen wir auch / das
vnser Bürger vnd Inwoner keinen Schüler / er komme
gleich frembd her / oder ziehe von einem andern Bürger auß /
in kost oder herberge annemen soll / er bringe im dan von dem
Pädagogiarchen einen schein / das er sich bei im angezeigt
vnd einschreiben lassen / vnd wo er seinen tisch vnd wonung ha-
ben werde / berichtet habe: vnd solchs auch bei der straf einer
Göttingischen Marek.

XIII.

Zum dreizehnten / vñ das die disciplin desto besser erhalten /
vnd

vnd die vbertreter vnd vnghehorsamen nach gestalt vnd gelegenheit irer verwirkung gestraft vnd gezüchtigt werden mögen/ So ist vnser will vnd meinung / das/ beneben obbestimten gemeinen vnd sondern strafen/ die preson oder Rärcker im Pauliner Closter (welchs fürters der lieben Jugend zu Christlicher Ehrbarer auferziehung derselben / consecrirt vnd zugeeignet sein vnd bleiben soll) follends zugerichtet / vnd zu züchtigung deren so es verdienen vnd verursachen / gebraucht werde.

XIIII.

Zum vierzehnten sehen/ordnen vnd erkleren wir hiemit/ das die tenigen Scholaren / so da nach altem hergebrachten brauch der hohen Schulen / deponirt seint / vnd Studenten genandt werden / Item welche ober sechszeihen Jar alt seint/ mit der ruten nicht mehr gezüchtigt oder gestrichen / sondern an stat derselben straf nach erkantniß des Pädagogiarchen/ mit vorgemelter Preson oder Rärcker gestraft werden sollen.

Wan dann ein Ehrbar Rath sambe den Ehrlichen Gilden / vnd das ganze löbliche Regiment dieser Stat Göttingen/ auß wolbedachtem zeitigem Rath/ vnd in betrachtung ires tragenden Ampts/ dieses Christliches hochnotwendiges Schulwerck dem Allmächtigen Gott zu Ehren vnd wolgefallen/ vnd in diesen letzten geschwinden zeiten / gemeiner dieser Stat vnd Nachbarschaft Jugend zum besten/ angefangen/ Auch darzu von weiland dem Durchleuchtigen hochgebornen J. vnd Herrn/ Herrn Ehrliche/ Herzogen zu Braunschwig vnd Lünenburg / vnserm gnädigen Fürsten vnd Herren/ hochlöblicher gedächtniß / gnädige beforderung vndertheniglich erlangt / vnd ober solchem nütlichen werck mit gebürlichem Christlichen eifer vnd ernst stat vnd fest zu halten wir vns versprochen / zugesagt / vnd verpflichtet. Wie dan von dem auch Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten

vnd herren/ Herren Julio Herzogen zu Braunschwig vnd Lüneburg/ vnserm guedigen fürsten vnd herren / wir vns in vnderthänigkeit nicht weniger hülff vnd gnädiger beforderung getrosten thun: Als das dieses neu angefangene Pædagogium ohne gemeiner Statt vnd in enniglichs beschwerung angestellt/ vnd (mit Götlicher verleihung) one einige gemeiner Stat vnkosten vnd nachtheil / volnfürt vnd vnderhalten werden kann vnd soll: Derwegen setzen / ordnen/ vnd wollen wir hicmit / do iemands alhie in vnserer Stat Göttingen/ durch eingeben vnd anregen des bösen feinds/ mehrgemelten von vns aus Christlichem bedenccken angefangenem vnd ins werck gerichtetem Pædagogio, desselben furgesetzten dieneren/ läsern/ Magistris, discipulis, oder einigen Schulverwanten / sich mit vngewürlichen Worten oder wercken widersetzen vnd also vns an vnserm Christlichen furhaben (darzu wir vns gegen vnsern gnädigen Landsfürsten / wie obermelt/ vndertheniglich verpflichtet/ vns auch one das darzu schuldig erkennen) einige hinderung zu thū / vnd vns oder vnserer hierzu verordnete diener / mutwilliglich zu irren vnd zu molestiren, sich vnderstehen würde / das der oder dieselben/ iren verbrechen nach andern zum abscheu/ ernstlich vnd one nachlaß gestrafft werden sollen.

Vnd vber solcher schul ordnung / auch allen vnd ieden puncten derselben / wie die ist Lateinisch vnd Deutsch offentlich promulgirt vnd verlesen seine / stet vnd fest zuhalten/ haben wir Burgemeister vnd Rath vnserer Statt Göttingen Klein Insigel hiefur getruckt. Geschehen am tage Vitalis, den 28 Monatstag Aprilis / im Jar vnserer erlösung Funfzehnhundert achtzig vnd sex.

Ga 4031

ULB Halle 3
003 564 959



TA → OC


H2, 21. ↑

抄本

NC







GOTTINGENSIVM
AD LAINVM PÆDAGOGII
ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ:

Item

STATVTA ET LEGES.

*Quibus adiuncte sunt Orationes duæ, solenni
in conuentu habita, cum in possessionem Re-
ctoratus immitteretur D. HENRICVS PE-
TREVVS, die D. Vitalis sacro, 4 Calend. Maij,
Anni a Christo nato MDLXXXVI.*



Francofurdi apud Ioannem Wechelum,
MDLXXXVI.